

17

205

T H E S E S

De coena Domini &
Persona Christi.

Contra futes & elumbes chartas Danielis Tof-
sani, quibus Articulos Saxonicae Visitationis la-
bore irritato refutare conatus est.

Quas Theses

A V X I L I A N T E D E O, P R A E S I D E
Æ G I D I O H U N N I O, S. Theologiae Doctore, & in Academia
V V i t e b e r g e n s i P r o f e s s o r e, d i s p u t a t i o n i b u s d i v e r s i s (p r i m o
q u i d e m d i e I u n i j d e C o e n a, s e c u n d o d e p e r s o n a
C h r i s t i) p u b l i c e d e f e n d e t

M. I O H A N N E S S C H R O D E R V S
H a l l o T r e i s e n s i s.

De caeteris duobus articulis, nempe de Baptismo & Prædesti-
natione, agetur ξάω θεῶ peculiariter contra Tossani
φλυασίας Disputatione.

15



93*

Cum Gratia & Priuilegio Electorali.

V V I T E B E R G Æ

Excudebat Mattheus Welack.



T H E S E S

De Actibus Domini &
Petri Christi

Compositis & scriptis a Johanne To
maseo, Archiepiscopo, & Theologo
Sacro Palatino, & Sacerdote

AVCTORITATE PATRIARCAE
SACROSANCTAE ROMANAE ECCLESIAE
APRILIS 1678

MILITONIAE SCHEODIVAE

15 93

Excudebat Michaelis Wack



205

DE COENA DOMINI THESIS PRIMA.



Articulos Visitationis Ecclesiarum

& Scholarum inclyti hujus Electoratus oppugnare futilissimis suis thesibus aggressus est Daniel Tossanus, Heidelbergensis Ecclesie Lupus, una cum suo Respondente M. Thimlero. Quorum putidas & rancidas chartas hac

& sequente Disputatione refellere visum est.

2. Et quidem, ut ipsorum sequamur ordinem, ἀπὸ τῆς θήσεως

ἀμαστῶν Tossanus, planeq; cum larvis luctatur, quando ad pri-

mam nostram affirmativam thesin (quæ est: Verba Christi,

Accipite, comedite, Hoc est corpus meum: Bibite; Hoc est

sanguis meus, simpliciter & κατὰ τὸ φητόν, uti sonant, esse acci-

pienda) misellum glossema in margine assuit: *V*Wirtenbergi-

cos dicere, nec se, nec Lutherum unquam scripsisse panem esse

substantialiter & propriè corpus Christi, sed Sacramentaliter.

3. Similiter quando in Thesi sua sexta contra nostras the-

ses primam & quartam operosè contendit, panem & vinum

non posse esse propriè & juxta literam illud corpus pro nobis

natum & datum: & sanguinem pro nobis fustum: idq; dehinc

thesi septima magno molimine probare nititur.

4. Quod verè est pugnare nemine reluctante, & perpetuo

lusu Fallaciae secundum plures interrogationes ludificari Deum

& homines.

5. Sicut enim juxta thesin nostram primam constanter as-

severamus, verba Christi: Edite, hoc est corpus meum: Bibite,

hic est sanguis meus) simpliciter & juxta literam, uti sonant,

esse intelligenda: sic quando de propositione hac altera (qua

PANIS dicitur esse corpus Christi) sermo est, ibi verò cum

Luthero & *V*Wirtenbergensibus ipsimet pronunciamus, panem

neq; propriè, neq; substantialiter esse corpus Christi, sed SOLA

A ij sacra-

sacramentali unione, ea verò non *quædam* sacramentarium, sed vera & reali.

6. Erroris in Tossano causa est hæc, quòd particulam demonstrativam (HOC) in verbis Christi usurpatam, SOLVM panem notare autumat, secus quàm Christus censet, qui ait: Hoc (quod manducandum præbebat discipulis) esse corpus suum.

7. Proinde in propositione Salvatoris particula (HOC) designat integrum complexum, id est, panem quidem, sed non solum; principaliter verò thesaurum ipsum, cuius manducationem & communicationem in huius mystici convivij arcano Dominus ordinare voluit.

8. Vbi corpus Christi est principale, QUOD manducandum exhibetur: panis autem est huiusce manducationis medium duntaxat, CUM QVO corpus suum dare voluit Dominus noster.

2. Cor. 4.

9. Quemadmodum igitur (ut Apostoli similitudine utar) si quis vase testaceo thesaurum alteri exhibiturus dicat: Accipe; Hoc est thesaurus mille florenorum, per pronomen (hoc) non certè solum vas testaceum intelligit, sed principaliter designat thesaurum ipsum vase contentum, & minus principaliter vas tanquam exhibitionis istius medium simul involvit, multoq; clarius loquitur, quàm si quis alius Tossanum imitatus propositionem aliam efformet, ac dicat: Hoc vas fictile est thesaurus mille florenorum; Ita quoq; Dominus clarissimè loquitur, quando HOC, quod pane mediante præbet, ipsissimè corpus suum esse pronunciat; juxta verba propriè ac simpliciter, uti sonant, intellecta. Obscurius verò loquitur is, qui subiecti loco panem substituit: falsissimè porrò, qui solum & nudum panem denotari sine ratione contendit.

10. Hac ipsa de causa quàmprimum Spiritus sanctus subiectum predicationis (HOC) mutat, eiusq; loco ponit vocabulum: (panis) vel in secunda parte Cæna vocabulum (poculi:) confestim ipsum quoque predicatum data opera mutatum deprehendit.

prehenditur. Veluti 1. Cor. 10. Vbi ponitur loco subiecti, panis quem frangimus, ibi non additur, est corpus Christi: sed, est COMMUNICATIO corporis Christi.

11. Sic quoque de poculo ibidem non legitur: poculum benedictionis est sanguis Christi, sed COMMUNICATIO sanguinis Christi, & in verbis Cæna: hoc poculum est NOVVM TESTAMENTVM in meo sanguine.

12. Itaque si de propositione à Christo usurpata sit questio, Num Hoc, quod Christus exhibet, sit propriè & essentialiter corpus Christi: respondetur, esse hoc exhibitum bonum ratione principalis thesauri propriè & essentialiter ipsissimum Christi corpus sine ulla differentia.

13. Si verò Tossanus se fatiget circa propositionem eam, qua Christus nunquam est usus, nec in universa scriptura reperitur: an videlicet PANIS Cæna sit propriè & essentialiter ipsum corpus Christi: disertè respondemus, nec propriè, nec essentialiter, sed duntaxat unione & predicatione Sacramentali, ea verò non corpore Christi vacua (ut Calvinista immenso intervallo corpus à pane dissepescunt & distrahunt) sed vera & reali unione mystica; ita quidem, ut in ipsa manducatione neque panis absque Christi corpore, neque corpus absque pane sumatur, sed in una indivisa manducatione sumantur simul.

14. Hac tamen servata differentia, ut res terrena terreno modo, res cælestis modo sibi congruente cælesti percipiatur.

15. Hinc manifestò liquet, Tossanum & complices non ex verbis institutionis depromere, quidnam sit id, quod Christus iubet discipulos suos edere & bibere, sed ex suo libitu preconcipere, quod sit solus panis & solum vinum, quicquid tandem sonent Christi verba, quæ dicunt: Hoc, quod exhibet edendum Dominus, esse corpus ipsius; Hoc, quod dat bibendum, esse sanguinem eius.

16. Quod prima sua thesi monet Antagonista, Sacramentaliter esse verba institutionis intelligenda: concedimus id prorsus,

A ij dum-

dūmodo rationem & predicationem illam Sacramentalem non ex regulis nuper in Calvinistarum senatu repertis, sed ex Scripturae fundamentis describat & astruat.

Cal. in form.
confus.

Beza in
Quaest. &
Resp.

17. Ipsorum enim commentitiam regulam apertè damnamus, qua unam eandemq; esse rationem omnium Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti substantiae respectu, putidissimè nugantur, atq; hinc inferunt, quemadmodum Sacramentis Veteris Testamenti significabatur Christus secundum carnem: ita quoq; verba Cœne esse explicanda, ut, juxta Calvini placitum, Esse panis & vinum dicantur id, quod SIGNIFICANT. Et ex Bezae decisione Magistrali sic torquenda sint verba: Hic panis est corpus meum id est, Hic panis sacramentaliter significat corpus meum. Corpus meum est hic panis, id est, corpus meum sacramentaliter SIGNIFICANTUR per hunc panem.

18. Quae enim sit sacramentalis illa ratio & predicatio, non est meum vel tuum ex nostro arbitrio definire, vel hujusmodi paritatem sacramentorum comminisci, quam Spiritus sanctus immoto & irrefragabili discrimine Sacramentorum utriusque Testamenti pridem solidissimè confutavit.

19. Heb. 10. scribit Apostolus: Lex umbram habuit futurorum bonorum, non ipsam ^{αὐτῶν} rerum. Et Coloss. 2. Paulus quasdam Ceremonias Leviticas recensens, ait illas fuisse umbram rerum futurarum: corpus autem esse in Christo.

20. Per res ac bona futura, quibus olim Lex Levitica Veteris Testamenti caruit, in Novo autem Testamento exhibita sunt, non certè beneficia utriusque Testamenti patribus communia notantur, qualia sunt gratia DEI, remissio peccatorum, justitia, adoptio in filios &c. His enim in presenti fruebantur patres, non minus atque nos. Sed intelligitur quippiam, quod Patres ratione substantia non habuerunt, sed venturum expectarunt. Id verò est Christus secundum carnem: quo exhibitō,

bito, incarnato, passo, & ad dextram DEI exaltato, omnis illa *αἰα* Veteris Testamenti tanquam officio suo defuncta prorsus evanuit.

21. Proinde, ut Christus secundum carnem per ritus sacrificiorum, agnum Paschalem, ceterosq; typos olim adumbrabatur populo, ita nunc nec adumbratur, nec significatur, sed per incarnationem manifestatus & ad dexteram DEI evectus, sacris omnibus Novi Testamenti presentissimus adest: in baptismo quidem presens non absens nos sibi inserens: in caena vero presens presentis sui corporis & sanguinis *κοινωνία* dispensans.

22. Falsissimum ergo est, quod Beza scribit, in *ijs*, quae sunt ex ipsius sacramenti substantia, prorsus convenire Sacramenta Veteris & Novi Testamenti, & re ipsa non esse imparia, differre autem signis & verbi perspicuitate.

Beza in
quest. & re-
spon-

23. Falsum quod una cum Beza docent Heidelbergenses, corpus Christi tam presens patribus Veteris Testamenti fuisse, quam presens nobis in Sacramento Eucharistiae sit. Imo non esse aliam in Caena communicationem corporis & sanguinis Christi, quam quae fuerit etiam in sacris Veteris Testamenti.

24. Constat autem, etsi patres Veteris Testamenti perfidem participes facti sint beneficiorum Christi: non tamen habuisse illos Christum ipsum ratione carnis sibi presentem, sed expectasse venturum.

25. Fuit enim caro Christi Novo Testamento & plenitudini temporum unice reservata, Gal. 4. Vt & passio ipsius, quoad opus, demum sub consummationem seculorum completa est, Heb. 9.

26. Quapropter si ratione substantiae paria sunt utriusque Testamenti Sacramenta: sequitur irrefutabiliter, ut quemadmodum patres sub lege carnem Christi, quoad substantiam non habuerunt: ita neq; nos in nostris sacris ullam habeamus substantiae carnis veram presentiam.

27. Quare.



27. *Quaerquam autem Sacramenta simul omnia in hoc generatim conveniunt, quòd Elemento constant & verbo mandati ac promissionis annexo; tamen re ipsa & substantia differre utriusque populi sacra, ex Apostolicis allegatis modò planum est redditum. Vnde sub eandem rationem, eundemq; predicandi modum cogere illa velle, est res substantijs distinctas in unam conflare velle massam. Quin de quovis Sacramento & sacramentalibus locutionibus partim ex natura Testamentorum, partim ex sua cuiusque sede quàm rectissimè iudicatur.*

28. *Nec regulam Calvinisticam de Analogia Sacramentorum utriusque Testamenti tantillum probat aut iuvat Apostolicus locus, quo patres nostros omnes eundem cibum spirituales edisse, eundemq; potum spirituales bibisse scribit, 1. Cor. 10.*

29. *De suo enim assuunt Calvinista, patres NOBISCUM eandem escam spirituales edisse: quòd Apostolo in mentem non venit. Non enim ille patres nobiscum, sed ipso met Israëlitae inter sese confert, & enunciat, Patres inter se, tam pios, quàm impios eandem edisse escam, eundemq; potum bibisse.*

30. *Quemadmodum de iisdem eiusdem periodi nexu & coherentia refert, quòd Patres nostri omnes per mare rubrum transierint, quòd in Mosen baptizati sint in nube & in mari. Quae cum ad nos referrí ne verisimiliter quidem possint: (nisi forte quis absurdissimè contendat, nos unà cum patribus transisse per mare rubrum &c). liquidissimè concluditur, sequentia quoq; membra, quibus particula (Omnes) eodem indiviso contextu repetitur, itidem non de nobis, sed de patribus simul omnibus, pijs & impijs esse accipienda.*

31. *Dicitur autem cibus & potus ille, spiritualis, tum quòd caelesti miraculo datus populo fuit, tum propter spirituales significationem ad Christum: quemadmodum subiungitur: biberunt de spirituali petra, quae comitabatur illos. Petra verò erat Christus.*

32. *De duplici igitur petra biberunt Israëlitae simul omnes, etiam*

etiam impij: Primò de potu ex terrena rupe educto, qui cur spiritalis dicatur, jam explicatum est, deinde de altera quoque spiritali petra, quæ comitabatur Israelitas, quæ erat ipse Christus.

33. Non sanè quòd impij per fidem biberint, sed quia biberunt id, quod typus quidam erat & figura Christi, qui est petra salutis.

34. Quod si Paulo de fidei manducatione & bibitione sermo esset, ut Calviniste contendunt: obsecro te, quomodo ea citra discretionem Omnibus Patribus assignari posset?

35. Quia verò Israelitas simul omnes sic edisse ac bibisse, & quidem ex his edentibus & bibentibus complures DEO displicuisse refert, qui etiam propter incredulitatem prostrati sint: invictò argumento hinc evincitur, non fidei manducationem ab Apostolo describi, sed talem, quæ impijs etiam ac Deo displicentibus, ideoq; per incredulitatem prostratis competat, quam in typica perceptione consistere paulò priùs ex Apostoli verbis monstravimus.

36. Secunda sua thesi affirmativa Tossanus ad eundem scopulum impingit. Sacramenta quidem Evangelio annexa duabus reb. constare, re terrena & cælesti, rectè profitetur verbis: Interim cum subdit, rem cælestem esse rem significatam, cū qua signa analogiam aliquam habeant: hanc Metonymicæ significationis analogiam, quæ corpus & sanguinem Christi à Domini mensa intervallo tanto, quanto cælum abest à terra, dispefcit, & signa vacua nobis reponit, nec probamus nec agnoscimus.

37. Sed analogiam docemus eam, quæ solet esse inter symbola seu media exhibentia & res exhibendas: Ideo enim ordinata sunt panis & vinum, non ut corporis & sanguinis Christi sint significatio: sed exhibitio & communicatio. 1. Cor. 10.

38. Sicut ergo panis è nubibus datus significatio fuit carnis Christi venturæ: sic è converso panis cæna Dominicæ non significatio,

B

ficatio,

ficatio, non figura, non *τύπος*, sed communicatio est corporis Christi.

39. Et sicut poculum Sacramentale in ritu Agni paschalis non communicatio, sed significatio fuit sanguinis Christi: quippe Veteris Testamenti poculum, ideoque significationi, exemplari & umbra deserviens: sic vicissim poculum sive potus Eucharistiae, non significatio, non typus, non figura, sed communicatio est sanguinis Christi.

40. Poculum enim est non Veteris Testamenti (quod *τύπος* futurorum bonorum habuit, non substantiam) sed Novi Testamenti. Ideoque substantiam Novi Testamenti, Christi nempe sanguinem, non figurat aut significat (hoc enim praestabant umbra Levitica) sed mediante hoc poculo praesens ea nobis offertur & exhibetur.

41. Ipsa vero thesis secunda Tossani autorem suum & complices vanitatis ac turpissima contradictionis redarguit.

42. Etenim si serio fatentur, Sacramentum constare duabus rebus, terrena & caelesti: utique concedent, si alterutra harum absit aut desit, Sacramentum iam non esse, cum desit pars altera ad integritatem ac substantiam Sacramenti requisita.

43. Aut igitur indigni Sacramentum non percipient, quia nobilissimam partem substantialem, corpus & sanguinem Domini iuxta Calvinisticum dogma non percipiunt: atque sic falsum erit, quod alias crepare solet ista factio, indignos accipere quidem Sacramentum, sed non rem Sacramenti:

44. Aut si sacramentum accipiunt, nec tamen corpus Christi: sequitur corpus & sanguinem Christi ad Sacramentum Eucharistiae non pertinere, nec eius esse constituentem partem, atque sic Tossanum unam cum suis sociis sententiam Irenaei probare quidem verbis, re ipsa vero negare & evertere.

45. Thesin tertiam Tossani quod attinet, non equidem negamus, rem terrenam & caelestem toto genere differre (Tossanus verbo, *Distarc*, usus est, suo consilio nobis non incognito) & unionem

nionem illam rei terrena ac caelestis nec physicam, nec localem colligationem ad symbola esse docemus, ut nec unionem Sacramentariam Tossani, quae rem terrenam à caelesti, & hanc ab illa immenso locorum spacio distrahit ac divellit: sed sacramentalem, ex natura sacramentorum Novi Testamenti non Veteris intelligendam.

46. Ea nihil aliud est, quàm quod Christus nec corpus suum sine pane, nec panem Eucharisticum absq; corpore suo, sed mediante pane sacrosanctum illud corpus manducandum, & vino mediante sanguinem suum una indivisa sumptione bibendum ordinavit.

47. Quanquam enim res terrena & caelestis non eodem percipiuntur Modo: Eodem tamen instrumento (in hac quidem Sacramentali actione) sumi certissimum est.

48. Instrumentum id definitum nobis à Christo est, hisce verbis: Edite, hoc est corpus meum. Bibite, hic est sanguis meus.

49. Illud Edere & Bibere sine ore prestitum ab Apostolis vel secus, infallibiliter edocent ea, quae secunda parte leguntur: Bibite ex hoc (scilicet poculo) omnes Matth. 26. Et apud Marcum: Biberunt EX EO (poculo nimirum) omnes.

50. Ex poculo autem bibere in nulla Grammatica idem est, quod credere: sed ex poculo bibere est ore bibere, quod Sacramentarij non nisi communi sensu destituti negaverint.

51. Iam quid sit id, quod ore suo bibebant, videlicet non vinum duntaxat, sed ipse Christi sanguis, salvator hac clarior expressit, addens: Bibite: hoc (quod vos iubeo bibere) est sanguis meus Novi Testamenti.

52. Interim non diffitemur, unius istius indivise manducationis & bibitionis rationem atque modum plurimum differre.

53. Ac sanè si modus unionis symbolorum cum corpore & sanguine

sanguine Christi esset Physicus, non nisi Physico & naturali modo perciperetur utrumq; cœlestē & terrenum.

54. Iam verò quia unio panis & corporis, ut & vini ac sanguinis est mystica planeq; supernaturalis: hinc adeò fit, ut panis quidem ore manducetur primò & immediatè ac seipso, ideoq; physice; corpus Christi verò non primò, nec seipso immediatè, sed duntaxat propter unionem cum pane consequenter & secundariò, & proinde juxta modum Sacramentalis unionis in mysterio, sive mysticè, verè tamen, realiter atq; solidè.

55. Quamquam autem fructus beneficiaq; corporis & sanguinis Christi sola apprehendantur ac percipiuntur fide: longè tamen alia questio est de substantia quam ex instituto salvatoris in hoc Sacramento sumi ore, & paulò prius ex textu verborum evicimus, & erudita purioris Ecclesie vetustas eandem sententiam unanimiter nobiscum profitetur.

56. Quare Tossani distinctionem neutiquam probamus, qua rem quidem terrenam, id est, symbola sacramentalia foris: cœlestem verò, nempe corpus & sanguinem Domini intus percipi contendit, particulam (foris) ad corpus, voculam autem (intus) ad animam hominis referens, atq; sic externum hominem in scriptura notatum Apostolica, de solo corpore, internum verò de sola anima perperam exponens.

57. Perinde ac si quis nugetur, hominem in suo baptismo percipere quidem aquam foris, in suo corpore, Spiritum sanctum verò intus, id est in anima sua, & non corpore. Quis verò preposterum illum interpretem non avertetur?

58. Siquidem homo & ratione corporis & anime respectu donatur Spiritu sancto, ita ut corpus etiam ad renatum hominem internum pertineat, tanquam sanctificantis & per gratiam inhabitantis Spiritus sancti Templum & habitaculum, 1. Cor. 6. atq; nihilominus hæc donatio & inhabitatio Spiritus sancti non foris coram externis sensibus, sed intus occulto modo peragitur: quantumvis subiectum inhabitationis externum sit & sensibus expositum. Sic

§ 9. Sic quoque in Cæna quamvis instrumentum, quo sumitur corpus Christi & sanguis, est externum, nempe os hominis: modus tamen sumptionis peragitur intus, & arcana ratione perficitur, quæ nulli sensui, imò nec mentis intelligentiæ naturaliter est obvia & pervia.

60. Quarta sua thesi fatetur quidem Tossanus, peragi actionem Cæne Dominica in terris: id ipsum verò ex interpretatione Calvinistarum, non nisi de particula quadam actionis Eucharistica intelligit, nimirum de actione externa, quæ circa symbola versatur: nobilissimam verò partem actionis, circa corporis & sanguinis Christi participationem occupatam, avellit à mensa Domini, & in cælum quoddam supramundatum contra scripturam totiusq; Antiquitatis uniformem doctrinam ablegat.

61. Illic enim, & non hic in terris, esse & apprehendi corpus & sanguinem Domini, unà cum factionis suæ sodalities proficitur.

62. Et huc tendunt verba eius, quibus monet, non in terram & terrena Elementa desigendas mentes nostras, aut Christum in terrenis elementis querendum, sed sursum corda ferri debere ad Dominum &c. Hec ille.

63. Respondeo verò: neque nos mentes nostras desigimus in terram, nec (ut cum Canone Niceno loquar) in propositum panem & poculum humiliter intenti sumus, sed Patrum vestigijs insistentes, iuxta eundem Canonem mentem nostram elevandam in hoc mysterio esse, constantissimè docemus.

64. Elevatur autem mens sursum, non expatiando supra extimos cælorum orbis, & illic Christum apprehendendo, sed (ut idem Canon asserit) considerando, IN SACRA ISTA MENSA, (quæ hic scilicet in terris & in Ecclesia parata est) propositum nobis esse Agnum illum DEI, tollentem peccata mundi.

65. Ex quo contra portas inferorum concludimus, Patres
B. ij illud



Ath. in orat.
contra Sabel.
gregales.

illud sursum non de loci sublimitate intellexisse (quod etiam D. Athanasius in hereticis reprehendit) sed ea phrasi ad maiestatem & altitudinem tanti mysterij penitus contemplandam piis mentes exuscitare voluisse.

66. Ubique enim Deus & Dominus Iesus Christus est, sursum est, & non deorsum, ne quidem cum in infima terra praesto est: Et in Spiritus sancti Grammatica circa hac religionis arcana idem sunt, in excelsis sedere, & ubique esse presentem.

67. Sic enim Chrysostomus Tomo 3. in sermone de passione, homilia de cruce θεολογῆς: quando dixerit Deum sedentem in excelsis, *VBIQUE* eum credite esse *PRAESENTEM*.

68. Calumnia porro de Christo in terrenis elementis, eò pertinet, ut Suenckfeldianismo lata via sternatur, & praescribatur Deo & Christo, ubi queri illum à nobis conveniat.

69. Et sanè quemadmodum Christum in terrenis elementis, ad hunc usum nullo DEI verbo segregatis, querendum esse minimè statuimus: sic vicissim ea Elementa, quae ipse sui querendi & inveniendi media esse voluit, à ceterorum elementorum grege, ratione huius mystici usus, longissimè separata esse statuimus.

70. Ita namq. DEO visum est (invito Tossano totaque Suenckfeldianorum turba) se suamq. gratiam, dona, & beneficia per terrena media dispensare, & regni sui thesauros per testacea vasa communicare.

71. Sic ad aquam Baptismi Deus salvifica sua & ad eandem regenerationem efficaci virtute liberè sese alligavit: hic vult queri, hic vult inveniri: Et per hanc aquam, aliàs in Philosophia terrenam, in Theologia verò caelesti efficacia pregnantem, salvificum illud renascentiae opus in nobis perficere.

72. Quinta Thesis Tossani non uno vitio laborat, ad infringendam thesin nostram quartam prorsus elumbis & invalida.

73. Primò quidem dum ait, corpore Christi animam nostram

stram pasci, tacite corpora nostra ab hac caelesti alimonia sequestrat.

74. Nos cum Ireneo alijsq; patribus, ad immortalitatem ac spem vitae beatae corpora quoq; nostra pasci Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine confitemur, quae sumentes credere debemus (ait Niceni Concilij Canon) haec esse resurrectionis nostrae symbola.

75. Veritas porro corporis Christi non evertitur, quando id ipsum corpus, quod discipulis in prima caena visibiliter assedit, alio quodam invisibili modo, panis interventu manducandum praebetur Apostolis.

76. Quanquam enim id visibiliter apparere posse, quando & ubi vult, non inficiamur: tamen vocem Theologo indignam esse dicimus, corpus Christi nunquam invisibile fuisse; cum id Emaunti ἄφωτον seu inconspicuum & invisibile coram oculis discipulorum esse factum Evangelista liquidissime confirmet, Luc. 24. Idq; ceteris etiam corporibus gloriosis commune futurum esse historia testetur Evangelica, Matth. 27.

77. Peculiariter autem de invisibili praesentia corporis & sanguinis Christi in caena scribit Augustinus in sententijs Prosperi: Eucharistia constat visibili elementorum specie, & **INVISIBILI** Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.

78. Hec dum oppugnat Tossanus, non nostram sententiam evertit, sed suum dogma proprio gladio petit & iugulat, ipso facto declarans, se praesentiam corporis & sanguinis Christi in caena credere plane **NULLAM**.

79. Si enim serio statuit, corpus Christi **SUBSTANTIAE** ratione (de virtute enim & merito hic questio non est) adesse in caena his in terris peracta: alterutrum concedat oportet, aut visibiliter id adesse, aut invisibiliter. Hic nullum est tertium.

80. Visibiliter non adesse Christi corpus, palam est, idq; haud aegre largietur Adversarius.

81. Jam

81. *Iam verò iuxta Tossani pronunciatum nec invisibilit-
ter unquam vel ullibi adest, unde sequitur, quod ex ipsius sen-
tentia nullo prorsus modo (substantiam si spectes, de cuius pra-
sentia controversitur) in cæna præsto sit.*

82. *De infinito corpore quod garrit, nihil aliud quàm ef-
frons calumnia est.*

83. *Quia enim Christi corpus non per localem ubiquita-
tem diffunditur, nec de loco uno in alterum, adeoq; καὶ ἐπιόμειον
in omnia loca mundi extenditur, sed in DEI throno supra uni-
versam creati mundi localitatem erectum, illocali modo præ-
sens adesse creditur: hinc adeo ne quidem in illa omnipresen-
tia maiestate infinitum evadit, sed finitum, & in ea quantita-
te, quia est alterius alicuius hominis corpus, citra omnem
mutationem permanens divino modo, qui omnem localem ex-
tensionem respuit, implet omnia: sicut in thesibus de persona
Christi fusius ista proponuntur ac dilucidius.*

84. *Ad thesin sextam ut & septimam responsum supra
est, & dilucidè commonstratum, ex propositione Christi (Hoc
est corpus meum) ob rationes ibidem assignatas tale quid, quod
Adversarius inde venatur, colligi non posse, sed plurimum in-
terrogationum fallaciam ab eo committi.*

85. *Quanquam enim due hæ Propositiones, quarum alte-
ra Christi est (Hoc est corpus meum) altera verò Scriptorum
Ecclesiasticorum (Panis est corpus Christi) sensu non differunt,
dummodò posterior hæ dextrè explicetur: tamen evidentiã
illas & perspicuitate differre, supra exemplo de vase testaceo
& thesauro declaravimus.*

86. *Lutherus quoque libro posteriore contra cælestes
Prophetas, ut & in Maiore Confessione differentiam utriusque
exemplis demonstrat: Et ut Papistas reprehendit, qui pronomi-
ne (Hoc) in verbis Testamenti, solum corpus absq; pane intelli-
gunt: sic non minus VViclephi glossam rejicit, qui vocabulo
(Hoc) solum panem non corpus intelligi perperam asseverabat.*

87. *Octava*

87. *Octava thesi rursus prescribit Filio DEI Tossanus, ut rem caelestem, hoc est, corpus suum in Eucharistiae Sacramento non ore, sed fide manducandum ordinet.*

88. *Hoc ut persuadeat Christo, pugnat ex loco de absurdo. Non enim minus absurdum esse auguratur, ore corporis manducari cibum spirituale & caelestem: quam si quis dicat, ab anima percipi & comedi cibum terrenum & epulas corporales.*

*O profundus
dus in ana
Tossani sapi
entiam.*

89. *Equidem si Christus usus esset Tossano Magistro, nunquam in hanc inextricabilem absurditatem sese demersisset, nec dixisset: Edite, Hoc (quod iubeo vos ore edere) est corpus meum. Bibite EX HOC (poculo) omnes. Hoc enim (quod iubeo vos ex poculo ore vestro bibere) est sanguis meus. Nisi forte probatum nobis faciat Tossanus, Apostolos ex poculo aliter bibisse quam ore.*

90. *Per manducationem autem, qua ore fit, non Capernaiticam lanienam intelligimus, qua corpus Domini edatur frustillatim, donec penitus absumatur; sed manducationem talem, qua unigenitus corpus suum impartibiliter atq; integre manducandum exhibet, idq; non modo aliquo huius seculi, sed in mysterio Philosophiae humanae incognito, cuius manducationis modum ex modo unionis, quae est inter panem & corpus, estimandum esse supra dictum est.*

91. *Atque huc pertinet illud pie eruditeq; dictum: Sumit unus, sumunt mille, quantum hi, tantum ille, nec sumptus absumitur.*

92. *Caeterum imaginariam illam absurditatem Antagonista argumento, non nisi ex physica proportione ducto, nobis impingit, quod somniat; quemadmodum in physicis, ea, quorum aliqua coniunctio est, quandam ad se mutuo proportionem habere oporteat: sic idem de divinis mysterijs & arcanis regni caelorum esse habendum.*

C

93. Hae



93. Hac regula Tossanus suis hominibus aditum ad furores Suencofeldij pulchrè patefaciet.

94. Si enim absurdum est, rem cælestem terreno ore percipi, non minus absurdum ex eadem causa fuerit, externa prædicatione spiritualem conversionem ad DEVM accendi, cælestiaq; bona dispensari, ex aqua terrena cælestem, quæ ex DEO est, renascentiam perfici: per terrena symbola res cælestes, corpus & sanguinem Domini, nobis offerri.

95. Quin neq; terrena corpora nostra poterunt ullo modo cælestis boni, nempe Spiritus sancti reddi capacia, nedum ut ex Apostolico pronunciato eius templa sint, 1. Cor. 6.

96. Si verò Deus modum habere novit, res toto genere differentes, nullaq; proportionem ad se invicem comparabiles, ita coniungendi, ut terrenis medijs bona non terrena, sed cælestia dispenset, & terrenum corpus nostrum transcælestis boni, Spiritus sancti per gratiosæ inhabitationis modum, capax efficiatur: haud dubiè poterit, invito etiam Tossano, pro sua sapientia invenire modum, quo terrenum os nostrum cælestis boni ac doni, nempe corporis Dominici, in mystica hac manducatione capax esse queat.

97. Si Disputatori nostro ob Physicæ proportionis defectum videtur absurdum, ore terreno percipi rem cælestem, nonne absurditatis accusabit semetipsum, quòd rem corpoream (corpus Christi) ab anima, spiritu incorporeo, manducari pronunciat?

98. Si absurditatem istam à se velit amoliri prætextu modi: & dicere, escam quidem esse rem corpoream, eius verò comedendi modum esse spiritualem: Tum pari jure licebit & nobis respondere, os quidem esse terrenum, quo sumitur corpus Christi, huius verò sumendi modum esse cælestem.

99. Imò vi sue regule, si quid valere debeat, nova sese contradictione implicabit inscius, dum proportionem à nobis exigens, ipsemet illam negligit, & rem corpoream (quæ aliàs
ad

ad spiritualement manducationem in Philosophicis nulla propo-
tione comparabilis est) nihilominus illa spiritali manduca-
tione percipi posse confirmat. Neque se ex his tricis expedire po-
terit, ni prius argumenti sui contra nos ducti vanitatem ipse-
met agnoscat.

100. Nec tantillum nos movet, quod ineptissimus Disputa-
tor absque omni assignata ratione scribit, esse ridiculum &
plane *αὐσάτωρ* oralem manducationem vocare ineffabilem,
imperscrutabilem, & supranaturalem.

101. Quoniam enim verba institutionis iubent ore edere
id, quod Christus corpus suum nominat, & ex poculo bibere ore
id, quod dicit esse sanguinem suum: & verò corpus & sanguis
Christi ore sumuntur, non ratione quadam naturali & per-
scrutabili: relinquitur ut modo imperscrutabili ac supernatu-
rali id fieri statuatur.

102. Oralis verò dicitur ista sumptio propter instrumen-
tum, & non propter modum.

103. Eodem autem risu, quo Tossanus absonum esse censet,
oralis manducationis modum, quoad corpus, ineffabilem &
supernaturalem dicere, licebit exagitare Sacramentum bap-
tismi quoque: quod Apostolus lavacrum aquæ nominat, & nihi-
lominus ei supernaturalem & imperscrutabilem vim regene-
rationis attribuit.

104. Licebit consimili risu excipere locum Apostoli Coloss.
2. & obstrepere, quòd absurdum sit profiteri, in Christo habi-
tare omnem plenitudinem Deitatis Corporaliter, atque interim
modum istius corporalis inhabitationis vocare ineffabilem,
imperscrutabilem, & supernaturalem.

105. Aut ergo Tossanus in his quoque rideat, Luciani more,
aut isthic quoque, cum de orali manducatione queritur, impium
suum risum cohibeat.

106. Que thesi decima nobis obvertit, nihil officium caus-
se nostræ, dum hoc nobis irrefutatum reliquit, quòd in solenni

C ij formula,



formula, Hoc est corpus meum, pronomine (Hoc) Dominus non solum panem notatum velit, sed principaliter ipsum corpus suum, in predicato expresse nominatum: tum etiam, quod in phrasi altera panis dicatur esse corpus Christi non per identicam predicationem, nec proprie, nec substantialiter, (substantijs quippe differunt) sed, ut dictum prius est, sacramentali unionem, thesibus antecedentibus explicata.

107. Quanquam autem instituta non sunt Sacramenta, ut promissa DEI gratia, remissio peccatorum, caeteraq; spiritualia beneficia, carne Christi nobis parta, aliter, quam fide nobis applicentur, tamen prescribere Christo, ne aliam quandam ab hac beneficiorum & fructuum ^{nonvisibilem} diversam manducationem instituat corporis sui, ratione substantiae considerati, nisi huiusce rei veniam prius à Tossano impetrarit: hoc verò incongruum, impudens & impium foret postulatum, in praedudicium atque fraudem liberrimae voluntatis potestatisq; DEI vergens.

108. Fidei porrò nostrae confirmatio in caena non acquiescit in signo visibili, nempe pane & vino, ut quidem Tossanus thesi 11. & 12. contendit; sed obsignatur in nobis longè praestantioribus symbolis, ipso Novi Testamenti pignore, corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi: sicut in baptismo non aqua praecipue, sed aqua adiuncto Spiritu, qui est pignus gratiae Dei & arrha hereditatis nostrae, fit obsignatio salutis.

109. Porro quod scribit, confirmationem nostrae resurrectionis fieri, non orali manducatione corporis Christi, sed sacra illa signa, quae à corpore nostro percipiuntur, (panem & vinum intelligit Adversarius) esse nostrae resurrectionis symbola; & haec postrema verba tribuit Nicenae canonem: manifestum ab eo falsi crimen admissum esse pronunciamus.

100. Ita namq; habet ille Canon: Quando preciosum ipsius corpus & sanguinem verè sumimus, credere debemus, haec (Corpus & sanguinem) esse resurrectionis nostrae symbola.

Nec

111. Nec aliud sibi volunt Irenaei verba. Nec nos nuda & solitaria perceptioni, quae ore fit, assignamus efficaciam resurrectionis ad vitam aeternam, ut ea incredulis quoque, & impijs, à Christo & vita aeterna alienis, competat: absit.

112. Sed unà cum Irenaeo huic sacramentali sumptioni caelestium donorum hactenus illam vim tribuimus, quatenus cum fide & spirituali communicatione, in salutari usu coniuncta est.

113. Quare (ut ad Thesin 13 respondeamus) sicut, qui fide manducat carnem Christi, & bibit eius sanguinem, habet vitam aeternam, ad quam excitabitur in ultima illa die; in quem scopum & pauli dictum 1. Thess. 4. à Tossano allegatum dirigitur: ita negari non potest, illam sacramentalem perceptionem corporis & sanguinis Christi, esse pignus & fidei & spiritualis manducationis, & consequenter beatæ resurrectionis ex mortuis: praesertim cum non sola anima, sed nostrum quoque corpus nutriatur hac alimonia in usu cænae Dominicæ ad illam spem immortalitatis & vitæ aeternæ.

114. Ac sanè Confessionis Augustanae Apologia, quam 13 Thesi Adversarius allegat, incredulos, impænitentes, hypocritas rectè dicit in ritibus & signis externis communionem habere nobiscum.

115. Signa autem externa eo loco non opponuntur, contra Salvatoris institutionem, corpori & sanguini Salvatoris, quæ potius externis signis sacramentali copulatione coniuncta sunt; ne signa externa fingantur corpore sanguineque Christi vacua: sed opponuntur spiritualibus illis beneficijs, remissioni peccatorum, iustitiæ & vitæ aeternæ, quibus cum nullum habent impij & hypocritæ commercium.

116. Hoc si extendat Adversarius ad corpus quoque Christi, eiusque sanguinem, adversa fronte obluetabitur Apostolo, manducationem indignorum luculentissime tradenti & confirmanti.

C ij Estj.



117. Estq; proiecta vanitatis indicium, quòd illi homines irreperere conantur in Augustanam confessionem, à qua non solum in Articulo decimo, qui de Cæna est, verum etiam nono, duodecimo, decimo tertio, & decimo nono, atq; sic in septem articulis δὲ δὲ παρῶν dissident: quod & ante hac ostensum alibi est, & erit DEO volente, occasio porro etiam ad oculum id demonstrandi.

118. Argumentum à similitudine Testamentorum sumptū, & thesi Calviniana 15 propositum; nullius pili aut flocci est.

119. Accuratè enim loquendo sunt bona legata, gratia Dei, remissio peccatorum, iustitia, adoptio in filios & vite aeternæ hereditas, & hac ad solos heredes ac filios Dei pertinent.

120. Corpus & sanguis Christi verò sigilla sunt, literis ac tabulis testamentalibus appensa. Quamvis alio respectu bonis toti Ecclesie, in hoc filij DEI testamento legatis, non incommode accenseantur.

121. Quemadmodum autem etiam hypocritæ baptismum, ratione substantiæ integrum, percipiunt, & verò bonis in baptismo promissis sua incredulitate semetipsos defraudant: ita simili modo de Eucharistia quorū,acro iudicandum est.

122. Ad Thesin decimam sextam, qua Censor gravis alienum putat, Christi corpus & sanguinem à nonnullis ad iudicium & mortem sumi: Respondeat meo loco Divus Augustinus, qui ait: Quid de ipso corpore & sanguine Domini, vero sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat: nisi manducaveritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis, nonne idem Apostolus docet, & hoc perniciosum fieri male utentibus? Ait enim: quicumq; manducaverit indignè, reus erit corporis Domini.

123. Et rursus: Iudas proditor bonum Christi corpus & Simon Magus bonum baptisma Christi percepit, sed quia bono benè non sunt usi, mali male utendo sunt deleti.

124. Si Deus, qui est ipsa vita, nihilominus impijs, in quibus est

(Est

Contra Cref-
conum lib
1. cap. 25.

Contra Ful-
gentium
lib. 9.

(Est enim scriptura teste in omnibus) ignis consumens est: si Christus, qui est petra salutis, incredulus sit lapis offensionis & petra scandali: si Evangelium, quod est potentia ad salutem 2. Cor. 2. omni credenti & odor vite ad vitam, solet esse incredulus odor mortis ad mortem: cur non pari modo salvificum Christi corpus ad iudicium cedat indignè percipientibus?

125. Presertim, cum Christus non solum sit Salvator, verum etiam iudex, & omne iudicium ei datum sit, quia filius hominis est. Iohan. 5.

126. Estq; hac de indignorum manducatione doctrina ab ipso Apostolo tradita, qui non solum scribit, eos, qui indignè edunt de pane hoc, & de poculo Domini bibunt indignè, reos fieri corporis & sanguinis Domini: sed modum ipsum quoque designat, quo reatu istum sibi contrahant, videlicet indignè edendo & bibendo, & quia inter edendum ipsummet corpus Domini non dijudicant, nec ab alijs vulgaribus ac profanis epulis sacrosanctum hunc cibum discernunt.

127. Huic sententiae nihil derogat affirmatum Salvatoris, Iohan. 6. Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, habet vitam eternam.

128. Tota nanq; concio Iohan. 6. habita, nihil habet de sacramentali illa corporis sanguinisq; Domini sumptione, quae non eo loco & tempore, sed multò demum post instituta est in ea nocte, qua traditus est Dominus Iesus 1. Cor. 11.

129. Et quanquam respectu salutaris fructus manducatio spiritalis, quae fide constat, ab esu Cænae non excluditur: tamen non est hæc ea manducatio, quae substantiam instituti sacramenti constituat, sed ab eadem multis modis est diversa.

130. Etenim illa fidei perceptio fuit antequam institueretur Cæna, hæc autem sacramentalis demum in ipsa institutione Cænae ordinata est.

131. Illa fidei sumptio fit etiam citra symbolorum panis & vini usum: hæc autem in Cænae sacramento instituta sumptio corporis



corporis & sanguinis Christi, non nisi Symbolorum interventu
prestari potest.

132. Illa fidei perceptio nunquam cedit ad iudicium: Sa-
cramentalis verò hæc ad iudicium vergit indignè edentibus,
& in ipso esu corpus Domini non dijudicantibus, 1. Cor. 11.

133. Illa fidei perceptio est omnium temporum, qua homo
ne ad momentum quidem carere debet, dummodo Deo placere
cupiat: Hæc Eucharistica vicissim huic uni & soli Sacramento
cœnæ Dominicæ propria est.

134. Illam fidei manducationem unâ nobiscum afferimus
ad Cœnam; hæc, quæ Sacramenti est, non ad Cœnam afferi-
mus, sed potius ibidem quarimus, qua confirmetur & in nobis
alatur altera illa spiritualis, cuius Evangelista Iohannes me-
minit.

135. Illam spiritualem Christus ipse in fidei perceptione
collocat: hæc econtra Eucharisticam in perceptione oris, iux-
ta indubitatam formulam: Edite, hoc est corpus meum. Bibi-
te ex hoc omnes: Hoc est sanguis meus.

136. Deniq; illa Iohannis 6. descripta manducatio & bi-
bitio ad eò est necessaria, ut citra eam ne infantes quidem sal-
vari queant. Hæc verò Sacramentalis ad solos eos pertinet,
qui semetipsos probare, qui cibum in hoc convivio nobis com-
mendatum dijudicare, qui mortem Domini annunciare pos-
sunt, hoc est, ad homines adultos.

137. Ex quo multiplici discrimine luculenter apparet,
quàm ineptè Tossanus locum Iohan. 6. Apostolicæ disputationi
de manducatione opponat.

138. Et ex his, quæ hæctenus ad Theses affirmativas Tos-
sani responsa sunt, expeditum erit iudicare, quid de Calvinis-
tarum (quos falsò vocat orthodoxos) negativis thesibus à
Tossano venditatis habendum sit.

Ad Thesin
Neg. Tossa-
ni J.

139. Posteaquam enim regula sacramentariorum de Ana-
logia sacramentorum omnium, tam Veteris quàm Novi Testa-
menti

corporis in pane delectescendum: quod non in pane latere in-
clusum, sed mystica ratione cum illo in perceptione Cæne co-
putatum unâ distribui manducantibus asseveramus: citra hu-
iusmodi absurditatum prodigia, quæ vel stulta imaginatur ra-
tio vel Tossani charitas nobis affricare tentat.

Ad Thesin 144. Thesis tertia Negativa Tossani admiscet negocio pro-
Neg. Toff. 3. sis ἐτερογενεῶν καὶ ἀπρόσδιόνων de sigillo, quod non sit mera cera,
si maxime non inclusa in se habeat ea, quæ obsignantur, & de
circumcisione, quæ propterea nuda non sit, si maxime in cultro
& resectione præputij non sit inclusum fœdus.

145. Neque enim quæ de nudis symbolis monet nostra Anti-
thesis, opponuntur obsignationi, sed præsentie. De hac inter
nos quaestio est, an hic in terris, in hac mensa præstò sint sola
symbola, ita ut corpus & sanguis Christi longissime inde absint,
quod Tossanus sentit, hoc modo symbola substantiali thesauro
Cæne vacua nobis obtrudens. Vel num unâ cum pane, & ut Au-
gustana Confessio germanica, Apologia & uterq; Catechismus
Lutheri habet, In & sub pane ac vino corpus & sanguis Chri-
sti præsens distribuatur utentibus, sine omni locali inclusione,
non tamen sine mystica cum symbolis conjunctione: quod nos
confitemur.

Ad Thesin 146. De corpore (non tropico, ut depravavit Tossanus) sed
Neg. Toff. 4. typico, quæ habet Antithesis quarta, à nobis in Articulis visita-
tionis reprobata, opponuntur his, quæ Bullingerus & alij de
corpore Sacramentali, spirituali, & symbolico philosophati
sunt. Ea si Tossanus non probat, unâ nobiscum disertè illa re-
ijciat.

147. Quanquam quid aliud re & factò profiteretur pars ad-
versa, quotiescung; Patrum dicta de Iuda & hypocritis corpus
Domini percipientibus, sic eludit, ut vocabulo corporis dicat no-
tari panem, qui tropicè & figuratè dicatur corpus Christi?

Ad Thesin 145. Porro (ut progrediamur) si blasphemum & scurrile est,
Neg. Toff. 5. his scurrilibus, ut ipsemet nominat, uti verbis, durch den Glantz
ben/

ben sich hinauff schwingen vnd in den Himmel wollen steigen /
ego Tossanum reverenter rogatum velim, ut hac de re non no-
biscum, sed cum fraterculis suis exoptulet, qui ad unguem in
suis scriptis ita locuti sunt.

149 Beza namq, Apol. 3. contra Selneccerum de fide supra
caelos volante & de Christianis in caelos conscendentibus, & eò
fide ac spe, quasi geminis alis, subvectis, suaviter admodum
philosophatur.

150 Querat Tossanus in vocabularijs, ecquid significet con-
scendere, volare, alis subvehi &c. Et non nos, sed complices
suos, imò seipsum, qui illud, sursum corda, eodem planè modo
interpretatur, scurrilitatis reos animadvertet.

151 Quod malitiosè à nobis (quos ubiquitarios suo more nomi-
nat) traduci conqueritur eos, qui ratione loci & SITVS aiunt Ad Thefin
Neg. Toff. 6.
corpus Christi ab elemento panis distare, quantum caelum di-
stat à terra: respondemus, Calvinistas, quorum patrocinium
suscipit Tossanus, non tantum eam presentiam, quae loci &
situs ratione describitur, suo illius assertionis portento tollere,
sed omnem simpliciter presentiam, etiam illocalem, penitissi-
mè reprobare.

152 Si enim verè praesens est in mensa sacra corporis Do-
mini substantia, aut localiter adsit oportet, aut illocaliter.

153 Localiter non adesse Christum corpore suo, utrinque
concessum est.

154 Sed nec illocalem aliquem presentiae modum corpori
Christi largiuntur adversarij. Nobis enim id asserentibus, ple-
nis quod aiunt, tibijs haecenus reclamant.

155 Sublato igitur & locali & illocali presentiae modo, pa-
tet, omnem modum presentiae, (quoad substantiam, de qua qua-
estio est) penitus esse sublatum & abnegatum.

156 Quanquam etiam non diffitemur, Christi corpus ex
terris evectum in caelum: tamen id velut a se ibi esse a stri-
ctum, & caelo CAPI, ut impia vestra Catechesis (Tossane, in

marginalibus allegatis fingit nec posse ullo modo in Cæna, hisce in terris peragenda, præsto esse: id verò nullus omnium Evangelistarum, Prophetarum & Apostolorum unquam dixit, unquam scripsit, unquam per febrim somniavit.

157 Et quæ sit, quod toties hæctenus ingeminas, corpus Christi esse in cælis, in regno patris, querendum in cælis, quò ascenderit, & unde corporaliter non veniat, donec veniat iudicaturus vivos & mortuos: interim quod idem illud corpus, seu potius Christus secundum integram humanitatem in thronum omnipresentiæ DEI, videlicet ad dexteram eius in eo ascensu confederit ac pervenerit, ut articulus symboli profitetur, & scriptura hac sestone à dextris DEI ascensum illum Christi à reliquorum hominum & angelorum ascensu non secundum magis & minus, sed toto genere secernit: de eo magis mutus quàm piscis es?

158 Nonne id eò recidit, quòd de Christi in regno cælesti commemoratione propè nihil altius sentis & cogitas, ac de Henoch, Elia, vel alio aliquo sancto in cælis existente: & Christo Iesu hunc in modum e solio divine maiestatis excusso ac deturbato, imò ad reliquorum sanctorum conditionem atq; sortem redactò, hanc facultatem nefariè moliris eripere, ut tam non possit salva Humanitatis substantia pluribus in locis, quibus per orbem Christianum Cæna Domini peragitur, adesse corpore suo, quàm nec Elias, nec quisquam alius, qui in cælum sublatus est?

159 Neque verò nobis ad salvandam sententiam nostram eiusmodi descensu corporis Christi de cælo in panem est opus: qualem Tossanus Carolstadiano delirio ebrius inscitè somniat.

160 Sic enim Carolstadio Patriarchæ Tossani & Magistro summo respondit ante annos 68 magnus ille Dei vir Lutherus: Summa, inquit, Vesanus spiritus nugatur pueriliter, Christum (in Cæna) ascendere & descendere, nec intelligit regnum Christi, quomodo sit in omnibus locis, & ut Paulus ait, omnia imple. at, Eph. 1. Visibi-

161. *Visibiliter ascendit Dominus; visibiliter redibit, seu, ut cum Angelis loquar, οὕτως ita veniet, οὕτως ποῦ quo modo vidistis illum euntem in caelum.*

162. *Interim invisibiliter in medio nostrum versatur, & ambulat in medio Ecclesiarum suarum, idq; etiam quia filius hominis est, quod collatio primi & secundi capitum Apocalypses Iohannis evidentissime testatur: atq; sic Ecclesiae suae iuxta naturam humanam quoq; praesens praesentis sui corporis & sanguinis νοῦνοῦναι haecenus defensam in mysterio seu mystica ratione dispensat.*

163. *Hec quia pertinaciter impugnant Calvinistae: satis perspicuum inde fit, calumniam non esse, sed accusationem iustam & veram, quando Ecclesiae nostrae hoc genus hominum omnis abnegatae praesentiae corporis Christi in Dominica Coena reum agunt.*

164. *Estq; supra invictis argumentis demonstratum, praesentiam corporis Christi in Coena Sacramentarios credere plane nullam, quod quidem substantiam corporis Christi attingit.*

165. *Aliud enim est loqui de praesentia gratiae, virtutis & efficaciae, aliud verò de corpore ipso Christi in substantia sua considerato.*

166. *Praesentiam verò mysticae coniunctionis cum Christo, de qua tot paginas complent in suis scriptis Adversarij, vix quisquam faedius abnegat & enervat, atque ipsi Calviniani.*

167. *Certum est, nos Christo in illa mystica coniunctione uniri, ut capiti. Caput a. constitutus est super omnem Ecclesiam iuxta humanitatem suam, qua est ad membra sua comparabilis, quippe caro de carne nostra, dicente Apostolo: membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ex ossibus eius, Ephes. 5.*

168. *Absonum verò est, ut caput omni modo reali absit à reliquo suo corpore, ut quidem Calviniani fingunt, Christum nar-*

D ij tura

re humane substantia nobis in hac terra degentibus nec visi-
bili adesse modo, nec invisibili, nec locali, nec illocali, nec ter-
reno, nec caelesti, nec naturali, nec supernaturali modo.

169. Quid, quod omnem illam virtutem & efficaciam, quae
capitis est respectu membrorum, flagitiosè derogant Christo
iuxta naturam eam, qua est caro de carne nostra, & os ex osi-
bus nostris?

170. Quomodo vitam & salutem prestare potest suae Ec-
clesiae, tanquam corpori mystico suo, quomodo fovere, & vege-
tare, & vivificare, & adversus portas inferorum tueri potest,
si (quod vos Sacramentarij statuitis) ea potentia, quae sola vi-
vificat & ad immortalem vitam fovet, vivificat, protegit &
conservat, nimirum potentia divina Christo ratione carnis
& concubuit & incommunicabilis est?

171. Hinc adeò ipsa haec opera, quae mystico huic capiti ex
officij ratione competunt, tui (mi Tossane) Antecessores in Col-
loquio Mulbrunnensi, Humanitati Salvatoris per Nestorianis-
mum non excusandum, subtraxerunt.

172. Itaq; nec mysticam quidem illam unionem sincerè cre-
dunt, nec aliam vel unionem, vel communionem Christi nobis-
cum intelligunt, quam quae & patribus veteris populi quandoq;
obtigerit, quorū tempore Christi corpus planè nondum extitit.

173. Vellicat Tossanus aliquoties voculam, corporaliter,
à Luthero & alijs in huius negocij declaratione positam.

174. Verum ea vox non determinat praesentiae modum
quendam coporalem, & ex corporis quantitate ac dimensi-
bus descriptum: sed ad subiectum praesentiae huius refertur,
ipsum videlicet corpus, & non solam Deitatem, sive Spiritum
adesse subindicans.

175. Proinde si ea vox usurpetur, commodius dicitur,
CRISTVM esse in Caena corporaliter, quam si quis CORPVS
Christi corporaliter adesse dicat, ne quis posteriore propositio-
ne putet indicari, non tantum adesse Corpus, sed id ipsum cor-
porali-

poraliter, corporeo vè modo, ex natura proprietate definito præsens esse.

176. Deniq, septima hac Thesi Negativa fingens Ubiquitarios (hoc elogio nobilitat verè Orthodoxos) non meminisse, verba promissionis facta esse ad hominem & propter hominem: non nostrū aliquem errorem redarguit (scimus enim, Deo laus, etiam non monente Tossano, ad nos propter nos & ad fidei nostre confirmationem & incrementum, universam hanc actionem esse comparatam & institutam) sed stoliditatem ipse suam cum malitia coniunctam turpissimè propalat.

177. Ut verò Thesin octavam quoq, Tossani expediamus, sciat velim, perceptionem quidem corporis Christi in Cena fieri ore, quod abundè satis ex institutione astruximus: applicationem autem beneficiorum, quæ hoc Novi Testamenti pignore, corpore videlicet Domini, nobis obsignatur, fieri sola fide, non ore.

Ad Thesin
Neg. Toss. gr

178. Et quomodo Tossanus cum socijs suis, circa questionem de fide ad Dominum elevanda, speculationibus inanibus atq, frivolis indulgeat, & phrasin illam veterum contra manifestam explicationem eorum, aliò rapiat & torqueat, itidem supra demonstratum est.

179. Quam imperitè quoq, Tossanus corpus Christi cibum anime sic appellet, ut corpora nostra (quippe quæ iuxta Calvinisticam Theologiam ad exteriorem hominem pertineant) ab illius perceptione ac fruitione secludat; Quid item de indignorum manducatione, non ex Tossani præscripto, sed ex Apostoli Pauli tractatu sentiendum sit, similiter in supra dictis monuimus.

Ad Thesin
neg Toss. 9.

180. Neg, verò agnoscimus localem aliquem corporis Christi in ora manducantium ingressum, cum filius DEI, ubi ubi tandem est, extra loci conditionem corpus suum intra sese unitissimè sibi copulatum continens, id ipsum interventu panis, citra huiusmodi localem translationem corporis, à nobis participari faciat.

Ad Thesin neg
Toss. 10

181. Quam

181. Quàm effrons autem mendacium est, affingere nobis, quod gloriosum Christi corpus deglutiatur à manducantibus? Increpet te Dominus, maledice Spiritus, ut ad mentiendum proiectus, & ad conculcandam gloriam proclivis es?

182. Sed neq. hoc in mentem venit nobis, quòd ex opere operato, id est, ob illam externam perceptionem symbolorum, corporis Christi & sanguinis fusi ad remissionem peccatorum participes fiamus.

184. Novit exactè Tossanus, pontificium illud commentum de opere operato totis finibus Ecclesiarum nostrarum pridem esse proscripium, & quicquid de sumptione corporis & sanguinis Christi sentimus ac docemus, id totum ad ordinationem DEI referri, cui ita visum est, ad confundendam sapientiam Calvinistarum, mediantibus terrenis symbolis filij sui corpus & sanguinem, hoc, quem ipse definiuit, modo nobis in cœna communicare.

184. Interim, licet impœnitentes & hypocrite corpus & sanguinem Domini sacramentaliter edant ac bibant, non tamen participes redduntur remissionis peccatorum, ad quam aliàs sanguis ille Christi fusus est, eò quod fide, quæ applicanda salutis unicum instrumentum est, destituantur.

185. Quanquam enim corpus & sanguis filij DEI nunquam non vivifica sunt: tamen Christus suo illo corpore & suo illo sanguine non necessitate quadam physica vivificat, quemadmodum agentia naturalia suam actionem suspendere nequeunt; aliàs salvifica Redemptoris caro spirasset ijs etiam vim salvificam, à quibus indignè tractabatur in pretorio Pilati, & in cruce; quod absurdum est.

186. Sed voluntariè hanc vivificam suam vim exerit in ijs, qui credunt, non exerit in his, qui non credunt.

187. Sicut eadem Domini caro vivificam virtutem spirat & emittit ad fœminam hæmorrhousam, fideli tactu hanc virtutem ex carne (ut Cyrillus inquit) elicentem: in reliquis, à quibus

quibus tum non minus tangebatur ac premebatur, eiusmodi virtutem non declaravit.

Atq; hæc ad Tossani Theses de Cæna responsa sunt.

De Persona Christi.

1. Articulum de Persona Christi quod attinet, in recitatione quartæ nostræ affirmativæ thesios fecit sive Tossanus, sive Typographus eius alteram copulativam (&) superfluam: quod & φάλμα totam thesin obscuriorem efficit.

2. Sunt theses Affirmativæ Tossani tres priores utrinque sanè in confesso, quoad verba. Reipsa verò Calvinistis unitatem persone distrahere, docebitur in progressu.

Ad the.
ses affir-
Toss. 1. 2.

3. Quod monet personalem Unionem non esse confundendam cum sessione ad dexteram Patris: potuisset equidem hac admonitione supersedere. Siquidem thesis nostra disertè sic habet: Per hanc personalem Unionem & secutam inde exaltationem collocatus est Christus ad dexteram Dei &c.

& 3.
Ad Thes.
affir.
Toss. 4.

4. Itaq; Unionem personalem & sessionem ad dexteram DEI clarissimè sic distingvimus, ut hanc doceamus temporis ratione secutam esse, posteaquam videlicet Dominus resurrexit à mortuis & in celos ascendit: quantumvis hæc sessio in dextra Dei ab Unionem sic dependeat, ut nisi Christi Caro cum filio Dei hypostaticè copulata foret, tam non potuerit in æternum evahi ad dexteram Dei Patris, quàm id nulli unquam angelorum datum aut dictum esse Spiritus Sanctus Heb. 1. perhibet.

5. Agnovit id Gregorius Nissenus libro contra Eunomium scribens: Dextra DEI omnium creatrix, per quam omnia facta sunt, ipsa hominem unitum evexit per Unionem ad propriam celsitudinem.

E.

6. Thesis

6. *Theſin quintam quod attinet Chriſtum ſecundum utramque naturam (atq; ſic etiam iuxta humanam naturam) obtinere gubernationem Eccleſie, & poteſtatem omnem in cælo & in terra, prius non poterit proſiteri Toſſanus, quàm univerſa ea, quæ contra Realem idiomatum communicationem ſcripſit & diſputavit hæcenus, obelo notaverit.*

7. *Etenim ſi Chriſto iuxta humanam naturam communicata tantum eſt creata poteſtas & finita; quantumlibet dicatur immenſo intervallo ea ſuperare omnium Angelorum potentiam: tamen hac ratione nec Eccleſie per totum orbem diſperſæ gubernationi par erit, nec credendum erit, accepſiſſe illum poteſtatem omnem, quæ in cælo pariter & in terra eſt.*

8. *Ediſſerat enim nobis Toſſanus, poſſitne illa creata potentia univerſalem in mundo Eccleſiam gubernare, id eſt, regere, illuminare, regenerare, largiri fidem & Spiritum ſanctum, contra portas inferorum, ac Satanae furores & mundi adverſitates protegere, & in æternum ſervare ac ſalvare? hæc enim ſunt, quæ ad gubernationem Eccleſie requiruntur. Quæ certè ſacra litera ſolius DEI potentia increata in ſolidum accepta ferunt.*

9. *Hanc DEI potentiam inſinitam & increatam ſi Toſſanus humanitati Chriſti reali non concedam negat, deſinat poſthac fumos vendere & glaucoma hominum oculis obijcere, quaſi ipſe quoque ſentiat, Chriſto gubernationem Eccleſie, omnemq; poteſtatem in cælo & in terra iuxta humanitatem eſſe collatam.*

10. *In qua Grammatica queſo omnis poteſtas in cælo & in terra creatitiam poteſtatem ſignificat? cū quidem ipſa devotus atq; vis φερόμενος repugnet, & Chriſtus omnem in Cælo terraq; poteſtatem alibi δὲ πάντα τὰ ἐξ οὐρανοῦ nominet, Luc. 22. quam aut finitam aut creatam dicere, fuerit extremè profanum & impius: & ſcriptura huic poteſtati, quæ Chriſto homini in temporum plenitudine collata eſt, dominium non Eccleſie ſolum
ſed*

sed universorum, quae vel in hoc, vel in futuro seculo nominantur, assignet.

11. Quod dominium non nisi omnipotenti virtuti DEI, quae condidit res, congruere, scriptura locupletissime testatur. Iob. 37. 38. & sequentibus. Esa. 40. et alibi.

12. Quod thesi suae quinta Tossanus attexit: salvis tamen semper naturarum proprietatibus, & faciente unaquaque, quod suum est: ut monet Epistola Leonis ad Flavianum: quis fucus, quae Sinoniam fraudem & imposturam sub hac restrictione (alias suo loco & sensu dextro, non sinistro, non contemnenda) occultetur, operapretium est diligenter ad veritatis trutinam exigere.

13. Nam sicut Leo in pensanda illa officij parte, qua nobis salutem acquisivit Dominus, recte scribit, unamquamque naturam agere, quae sibi naturaliter sunt propria: sic minime diffusetur, in applicatione acquisitae salutis humanam Naturam vi Unionis divinas officij huius actiones edere posse ac solere, & verè vivificare, ceteraque ad munus regium illud ac sacerdotale pertinentia prestare, τὸ λόγῳ videlicet in, cum & per carnem talia efficaciter operante.

14. Tossanus autem, secutus suos antecessores, hac restrictione humanam Domini carnem à divinarum actionum communionem sequestrat, & Naturam divinam solam divinas actiones officij regij & Sacerdotalis obire, humanam Naturam non nisi humanas actiones prestare posse autumat, divinas verò actiones, non modo ex proprietate naturali sua non obire (quod ex Chalcedonensis concilij decreto libenter fatemur) sed ne quidem ex Unionem illam divinarum actionum edendarum vim facultatemque consecutam esse.

15. Quod verè Nestorianum, sacris literis, totiusque Antiquitatis unanimi sententiae è diametro contrarium est.

16. Nos autem cum Antiquitate confitemur carnem Christi, quoniam cum vivificante verbo coniuncta est, totam effectam

E ij esse

esse vivificam. Et quamvis Natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat, facere tamen hoc, quia totam verbi operationem suscepit totamque proprietatem eius, qui habitat in illa possideat, id est, totam vivificationem.

Cyriill. 4. in
Iohannem
cap. 23.
Lib. 9. in
Ioh. cap. 3.
Ad Tossan.
Theol. Neg.
1. & 2.

17. Accedimus ad refellendas Theses Tossani negativas, quarum prima nequiter impingit nobis, quod inter Naturam & hypostasim non distinguamus.

Propositio
mes. Homo
& Humanitas
cuni de
Christo lo-
quatur.

18. Quod enim Refutationem Orthodoxi consensus Calvinistici nobis obvertit, in qua extare ait his ubiquitarianorum. loquimur sunt idem. Item, Humana natura est Deus, nihil hoc aliud, quam eorum quae recto sensu dicta sunt, notoria depravatio est.

19. Demonstrant ad oculum Virtebergenses Theologi, non esse novum, ut vox, Homo, pro humanitate accipiatur: quod pag. 19. Refutat. Orthodoxi consensus multis exemplis, quae Tossanus, si vel illa ei rumpantur, inficiari nequit ad oculum adversarijs demonstrant, quotiescunque, videlicet patres de assumpto homine, de Homine Deitati unito, &c. disserunt.

20. In his enim patrum dictis non Homo, quatenus personam denotat, assumptus & Deitati unitus est (sic namque persona personam assumpsisse statueretur impie) sed Homo assumptus & τὸ λόγῳ unitus infallibiliter unitam assumptamque Naturam designat, cum negare non possit universus grex Calvinisticus, λόγῳ assumpsisse sibi, univisse Naturam, non personam, ne personae Nestoriana binitas in Christo fingatur.

21. Et recte in Adversarijs reprehendunt Virtembergici, quod in propositione, Hic homo est Deus, per subiectum homo, aeternam filij hypostasim, exclusa Humanitate solam, intelligunt.

22. Planè ut Thomistae olim hanc propositionem: Homo est Deus, hac interpretatione reddebant: Filius Dei sustentans humanam Naturam est Deus.

Lutherus de
Transub.
Tom. VII.
25

23. Quam interpretationem Lutherus ex Spiritu sancto Christianam esse negat, quia neget, filium Dei esse hominem

actus

a Etu primo, sed fingat cum sustentare humanam Naturam, velut actu secundo, quod heretici sime dici recte pronunciat.

24. Nec demonstrabit Tossanus, VVirttembergenses Theologos unquam hac propositione (Humana natura est Deus) eo sensu esse usos, quem ipse illis affingit.

25. Non enim humanam naturam transformant in divinam: sed quemadmodum alias filius Dei per naturam dicitur esse Deus: sic monent Christum hoc nomine Dei, ut & filij Dei nomen alia ratione sortitum esse in tempore, videlicet iuxta humanam Naturam: quod Heb. 1. perspicue fundatum & declaratum extat.

26. Quod si hereseos notam impingere volet Tossanus Refutationis orthodoxi consensus authoribus: sciat sibi cum erudita & orthodoxa Antiquitate bellum fore paratum.

27. Quamquam enim huiusmodi phrasibus, ob effrenatam Athanas. de Natura humana suscepta contra Apollinariu. in adversarijs libidinem omnia etiam recte dicta cavillandi, parcus utendum arbitror: tamen, ut Tossani retundatur audacia, Divum Athanasium audiat, sic de his mysterijs concionantem: Non verbum Dei donatitia ratione hoc nomen accipit, ut Deus vocaretur, sed caro eius cum ipso simul Deus appellata est. Non enim dixit: Verbum Deus factus est, sed Deus erat verbum: semper enim, inquit, Deus verbum: Et ille ipse Deus factus est caro, ut ipsius caro efficeretur Deus verbum.

28. Et addit: Quemadmodum Thomas palpator ipsius carnis proclamavit: O qui es Dominus meus, & Deus meus, Vtrunq; simul Deum appellans. Itidem & Iohannes scripsit: Quod erat ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostra palpa verunt, de verbo vite. Satis ergo constat in carne filium & patris verbum palpatum esse, & illud vtrunq;, quod simul palpatum erat, verbum vite sacre litera appellaverunt. Haetenus Athanasius.

E 3

Audiat

29. Audiat verò & Damascenum libro primo de imaginibus ita differentem: Quem admodum Verbum sine mutatione Caro factum est, manens id quod erat; sic & caro Verbum facta est, non amittens id, quod est, sed potius cum Verbo idem effecta, quantum pertinet ad personam.

Dam. lib. 3.
de orthod.
fide cap. 17.

30. Audiat Gregorium Theologum, qui, referente Damasceno, ait, carnem Domini deificatam, *ουόθεος*, & DEVM factam: non quidem secundum transmutationem, sed secundum dispensatoriam Unionem.

31. Nec mirum est, Tossani delicatas aures ab his, non *Virtenbergensium* principaliter, sed Antiquitatis phrasibus abhorrere, cum adorandam illam Naturarum *κοινωνία*, seu realem communicationem, & ut eadem Antiquitas nominat, participationem Deitatis, quam illi huiusmodi locutionibus exprimere voluerunt, in corde suo pridem damnaverit.

32. Deum esse hominem, & hominem esse Deum, Tossanus cum suis statuit, non per unionem huiusmodi, quae cum reali participatione Deitatis collata carni sit coniuncta: sed per nudissimam assistentiam sine ulla prorsus communicatione vel hypostaseos, vel Deitatis, vel idiomatum natura: Maiestatibusque divinae: haec enim (infinita cum sint) iudicat esse finita carni ex Philosophico principio (finitum non est infiniti capax) incommunicabilia.

33. Nihil affingi Calvinistis, Beza testatur, unà cum socijs, in Mompelgardensi Colloquio, quando in suis thesibus scripto consignatis ita dicunt: communicationem realem, id est, Unionem naturarum admittimus, in qua manent singula naturae per se etiam in Unionem suis proprietatibus distincta, citra ullam aliam communicationem.

34. Et rursus idem Beza in suis Questionibus & Responsionibus ait: itaque, neque naturarum, neque proprietatum essentialium *VLLA* est communicatio.

35. Et quàm frivole de Unionem ipsa sentiant, apparet inde,

de, quod illam in sola inseparabili gestatione humanitatis à λόγῳ peruersissimè collocant.

36. Faciunt hoc VVitebergenses Sacramentarij in defensione sui Calvinistici Catechismi, ubi sic loquuntur: in Christo SIC sunt unitæ duæ natura, ut sint unum ὑφιστάμενον, id est, ut gestetur humana natura à λόγῳ, sic ut sint inseparabiles natura deinde in tota æternitate, & ut natura humana redigetur in nihilum, nisi sic gestaretur.

Vnum ὑφιστάμενον esse est Calvinisticis gestari à λόγῳ.

37. Hos imitati Pezelius & Grabijs in suo libro contra Hunnium edito scribunt: sustentari carnem in Deo Verbo, nihil est aliud, quàm unitam esse verbo personaliter.

Pag. 56.

38. At verò sustentamur ac gestamur & nos à λόγῳ, imò in λόγῳ (IN ipso enim sumus, vivimus & movemur, Act. 17. Et λόγῳ portat ac gestat OMNIA τῷ ῥήματι τῆς αὐτῆς δυνάμεως Heb. 1.) Et quidem gestamur sic, ut in tota æternitate nos, qui credimus, simus ab ipso futuri inseparabiles, Thess. 4: gestamur sic, ut nisi ita gestaremur, ne ad momentum quidem subsistere possemus, sed in nihilum redigeremur.

39. Vide ergò, mi Tossane, quàm pulchrè tui gregales totum mysterium hypostaticæ Vnionis evacuent.

40. Presertim, quia serio damnant eos, qui omnipotentiam essentialem Deitatis carni Christi VLLA ratione communicant.

Dan. in Exam. lib. Chénitij pag. 380. & 305. edit. Ann. 81.

41. Et omnipotentiam, aiunt, non solum humane nature idioma non fieri, verum etiam eidem respectu unionis personalis non competere: sed sic semper esse idioma Deitatis, ut planè nulla ratione realiter vlli nature create conveniat.

42. Qui autem omnipotentiam verbi derogant assumptæ carni: hi simul personam ipsam seu hypostasim τῷ λόγῳ carni derogent oportet, ita ut ὑπόστασις illa (non minus quàm ipsa omnipotentia) ne per Vnionem quidem humanitati ulla ratione competat aut conveniat.

43. Ratio consequentiæ est hæc, quia omnipotentia τῷ λόγῳ adeò

adeò est ipsa $\nu\sigma\sigma\alpha\sigma\iota\varsigma$ verbi simplicissimè, ac citra ullam realem distinctionem: ut impossibile sit omnipotentiam verbi subtrahere Humanitati, quin eidem & hypostasis verbi penitus subtracta sit.

Ad Theſin
Neg. Toſs. 3.

43. Hec ita cum sentiant clientuli huius Patroni & Disputatori, patet nullam fieri Calvinistis iniuriam, quando scribimus, sentire illos, hominem Christum, qui ex Maria virgine assumptus est, esse verbaliter & nominatenus Deum.

44. Subtracta enim assumptæ carni Deitate & omnipotentia verbi: iam desinit esse vera predicatio, & sit falsa, qua dicitur: Homo ex virgine sumptus, & verbo unitus est verus Deus: Similiter laborabunt falsitate: quòd germen Davidis sit Iehova Ien. 23. quòd filius hominis sit filius Dei. Matth. 16. quòd verbum sit caro Iohan. 1. Et quòd secundus homo sit ipse Dominus de Cælo 1. Cor. 1.

45. Neg. verò de horribilibus istis erroribus, ideo reos agimus Calvinistas, quod propria alterius nature de altera propriè predicari negant, ut Tossanus refert.

46. Hoc ipsam enim negamus & nos, qui hoc genus predicationum, non ad proprias, sed in usitat. predicationes referre consuevimus.

47. Per Phrasin autem $\nu\alpha\tau' \alpha\iota\delta\delta\omicron$ voluerunt orthodoxi Scriptores indicare, proprietates divinas, quæ humane nature communicatæ statuuntur, non esse humanitatis naturaliter proprias, sed aliunde, videlicet per unionem ei communicat. is.

48. Nec nudam $\epsilon\omega\iota\zeta\upsilon\epsilon\lambda\iota\upsilon$ appellationum statuit Nazianzenus, sed eam, cui ipsius rei communicata veritas substrata sit. Idem de cæteris nominibus sentiendum.

Ad Theſ.
Neg. 1. Ofſ. 4.

49. Hac doctrina de reali communicatione Idiomatum non confunduntur Nature, siquidem divina non tribuuntur humanitati, tanquam eius naturaliter propria: quod solum reprehendit Cyrillus, sed ut per unionem ei communicata, quòd posterius una nobiscum sanctè professus est.

80. Di-

50. Sic enim scribit Cyrillus Dialogo. 6. Humanitatis parvitas in summa & excellentissima Naturæ dignitatem pervenit, & ipsam in dignitatis folio collocavit, & cum carne verbum unigenitus Dei dominatur omnibus. Ibidem: Curvatur ei omne genu: accepit autem hæc secundum humanitatem.

51. Corpus Christi non solum dicit iam esse incorruptibile, Epist. 1. sed & vivificum. Vita enim corpus & glorificatum claritate ad Succedens Deo dignissima, quod tanquam Dei proprium corpus existens cæl. omnia humana transcendat.

52. Et multa in hanc sententiam scribit passim, quibus sublimia, quæ Deitatis sunt, adscribit carni, corpori, humanitati Christi: ad quorum virtutem Natura humana per unionem conscenderit.

53. Cæterum qua conscientia nobis imputat Tossanus, quod sentiamus, de assumpta Natura propriè predicari, quod sit æterna, immortalis, ac deniq; Deus?

54. Etenim assumptam naturam esse æternam aut ab æterno, sive propriè, sive figuratè, sive inusitato predicationis modo, quis unquam scripsit aut docuit?

55. Omnipotentia quidem illam esse vi unionis factam participem asseveramus: nec tamen simpliciter & sine necessaria explicatione dicimus, Humanam naturam esse omnipotentem: nedum ut illam statuamus propriè omnipotentem.

56. Solius quippe Deitatis propriū sive proprietas est & manet omnipotentia, nec in ultimam usq; sempiternitatem fit proprietas Humanitatis, quantumvis ei per unionem communicetur realiter, nunquam verò illius naturalis proprietas efficiatur.

57. Præ furore oppugnande gloriæ Christi damnat Tossanus phrasin eam quoq; quæ scripturæ est, videlicet quod λόγος sit mortuus.

58. Nosse debebat, λόγος vocem esse nomen personæ, quam verè mortuam esse, non quidem Deitate, sed carne, Spiritus sanctus liquidò tradit.

F

Certè

1. Cor. 2.
Actor. 3.
Gal. 1.

59. Certè si verè scribit Iohannes, λόγος vitæ esse visum oculis & palpatum manibus Apostolorum: pari loco habenda erunt & hæc: λόγος vitæ est mortuus, Dominus gloria est crucifixus, Autor vitæ est interfectus, Filius Dei (qui est λόγος patris) SEMETIPSVM tradidit pro nobis.

Beza in The-
sibus suis in
coll. Momp.

60. Nisi fortè Tossanus cum Beza sic istas enunciationes velit eludere: Deus est passus, id est, caro Deitati unita est passa: aut, quod alij nonnulli faciunt, solam Christi humanitatem esse passam & mortuam profiteri: cum non sola passa mortuaq; sit humanitas, sed (quod incomparabiliter plus est) persona, quæ est Deus λόγος, sit passa, nimirum secundum hanc passibilem humanitatem.

Ad Thefil
Tofs. Neg 5.

61. Fulgentij dictum, à Tossano in nos inscitè vibratum, nihil extimescimus: sed unà cum Fulgentio fatemur, Christum hominem, id quod divinum est, adeò non habere in sua Natura (humane) proprietate, sed in veritate diuinæ Naturæ, ut nisi ipsiusmet Deitatis seu diuinæ Naturæ λόγος per unionem factus esset particeps, tum nec in communionem seu reale consortium divinorum idiomatum unquam venire potuerit.

Ad Thefil
Neg. Toff 6.

62. Quæ de effusione proprietatum Deitatis in Naturam humanam ex D. Brentio profert Disputator noster; vetus est & exoletum, ac millies antehac confossum, maxime verò in libro Christianæ concordie solenni confutatione protritum obiectum.

63. Usurpavit D. Brentius effundendi verbo non proprie, sed μεταφορικώς. Quo sensu Divus Athanasius in Disputatione contra Arrium; Cyrillus lib. 1. in Ioan. cap. 15. ut & Casianus de Incarnatione ad Leonem, in confessione ab Aphricanis simul & Gallicanis Ecclesiis approbata, voce Effusionis & Infusionis in notanda glorificatione Christi secundum carnem, sunt usi.

64. Novit etiam Tossanus, nos humanitatem non vertere in divinitatem, & quod Brentius habet de assumpto filio hominis

minis, qui Deus factus sit, declaratum supra est verbis Athana-
sij, Gregorij Theologi, & Damasceni, quomodo hanc phrasin
& ipsi usurparint & explicarint. Et D. Brentium illam non
intelligere de conuersione humanitatis in Deum, videre perfa-
cile poterat Tossanus, si non data opera maluisset hanc ibi ad-
iectam Brentij explicationem (NON MUTANDO, sed or-
nando substantiam eius) è medio contextu allegatæ sententiæ
dispungere: qua in re num Tossanus boni viri, an verò Syco-
phantæ functus officio sit, iudicium penes lectorem esto.

Impudentis-
simum cri-
men fals.

65 Quodq; D. Brentius non duas Deitates substantijs differen-
tes somniarit, sed unius Deitatis geminam considerationem in-
tellexerit Brentius ipse unà cum cæteris VVirtenbergensibus
Theologis Scripto germanico, Anno 65. contra Heidelbergens-
es edito, pagina 90. & 93. manifestissimè declaravit.

66 Calvinistas autem è contra docere, humanam natu-
ram nullam habere communionem realem cum diuina: paulò
antè sic euidenter ostendimus, ut Tossano impossibile sit hoc in
eternum confutare aut refellere.

Ad Thesin.
Neg. Tesi. 7.

67 Que de Eutychea Effusione recoquit, iam dissoluta
sunt. Non emigrant idiomata diuina ex natura Deitatis in
aliud subiectum, nec per effusionem Physicam in humanitatem
transfunduntur. Sed talis describitur à nobis communicatio
Maiestatis, qua $\rho\omicron\gamma$ & carnem in $\kappa\omicron\lambda\upsilon\omega\upsilon\tau\iota\alpha\pi$ persone sue realiter
assumens, consequenter illam in consortium maiestatis omni-
potentia, &c. intra hanc personam incommutabiliter perma-
nentis attollit & euehit, adeò, ut nisi caro in ipsiusmet perso-
ne verbi participationem vi unionis esset assumpta, non po-
tuisset unquam venire in participationem omnipotentia, quip-
pe quæ in traillam verbi hypostasim absque effusione ulla perma-
net.

Ad Thesin
Toss. Neg. 8.

68 *Thesi negativa s. Tossanus falsum esse scribit, negari Dei vel Christi omnipotentiam, quando negatur Deum posse mentiri, sive quod eodem redit, contradictoria loqui & tradere: qua quidem in parte nos facile habet consentientes.*

69 *Interim vos Calvinista in Articulis de persona Christi & Cena Domini multa fingitis esse contradictoria, que in vestro tantum cerebro sic apparent, coram Deo autem contradictoria non sunt.*

70. *Videamus autem exempla, quibus suum pronunciatum Antagonista confirmat. Contradictoria esse scribit, Vnum esse omnipotentem, & tamen duas naturas esse omnipotentes.*

71 *Respondemus: sicut una est persona in Christo, & tamen duabus naturis realiter communis: sic una tantum est in eo omnipotentia, & tamen utriq; natura competens, hoc observato immenso discrimine, quod Deitas est ipsa sua omnipotentia: humanitas vero non est omnipotentia ipsa, sed huius per unionem solida communicatione participans, sive particeps.*

72 *Planè quemadmodum unus tantum est vivificus Christus, & una ipsius vivifica virtus, patribus unanimiter attestantibus, utriq; natura realiter competit: Deitati quidem verbi, ut naturaliter eius propria, humanitati vero, ut personarum illi communicata.*

73 *Et quemadmodum unus est tantum adorandus Christus, & tamen utraq; in eo adorabilis natura, adoratione non gemina, sed indivisa. Idem de omnipotentia iudicet Tossanus.*

78 *Alterum exemplum contradictionis, quam nobis impingit, est, de creatura posse predicari proprie, eam esse Deum. De quo mendacio sufficienter in prioribus Thesibus est dictum.*

Quis unquam
ita scripsit
Tossane?

Tertium

75 Tertium exemplum est, propria naturarum manere, & tamen fieri communia, & effundi unius nature proprium in aliam.

76 Ut quid respondeamus intelligat Tossanus, age ponamus definitionem proprii seu proprietatis, & applicemus deinde ad rem presentem.

77 Proprium dicitur id, quod rei cui attribuitur, competit per se & ex nature ipsius proprietate seu conditione nativa.

78 Iam Omnipotentia (exempli causa) Humanitati Christi non competit per se, nec ex proprietate Nature, seu nativa eius conditione. Nec quisquam ex nostris unquam scripsit, aut cogitavit, Humanitatem Christi naturali vi sua seu nativa conditione & facultate suae nature esse omnipotentem.

79 Apparet ergo, manifestam nobis fieri iniuriam, quasi omnipotentiam assumptae humanae nature proprium seu idioma constituamus.

80 Posse autem id, quod alicuius rei idioma non est, nec unquam ei naturaliter proprium evadit, nihilominus eidem communicari verè & solidè, ostenderunt Patres similitudine animae & corporis, itemq; ferri candentis.

81 Et attendatur, quam graviter id confirmet D. Cyrillus lib. 4. in Ioh. cap. 23. Si caro sola intelligatur, nihil prorsus vivificare potest, quippe, quae vivificante indigeat. Cum verò incarnationis mysterium laudabili cura scrutati fueritis, & vitam habitantem in carne cognoveritis, quamvis nihil penitus per se ipsam caro possit: vivificanti tamen Verbo coniuncta, tota effecta est vivifica. Non enim ad corruptibilem suam Naturam iunctum Dei Verbum detraxit: sed ad melioris virtutem elevata est. Quamvis ergo natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat, facit tamen hoc, quia totam verbi operationem suscepit. Corpus enim est, non cuiusvis hominis, cuius caro prodesse non potest (Non enim Pauli aut Petri, aut ceterorum) sed ipsius vitae corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter inhabitat, facere hoc potest. Nam si mel cum naturaliter dulce sit, ea

dulcia facit, quibus immiscetur: nonne stultum erit, vivifi-
cam verbi naturam putare non dedisse homini, in quo habi-
tat, vivificandi virtutem? Quas ob res ceterorum omnium caro
nihil prodest; Christi autem caro, quia in ipsa unigenitus DEI
Filius habitat, SOLA vivificare potest. Hæc Cyrillus.

Ad Thef. neg.
Toff. 2

82. Calumniam de corpore Christi in lapidibus, in laqueis,
in cantharis cerevisiarijs &c. pridem refutarunt Theologi
Virtenbergenses, & quidem ijs ipsis Scriptis contra Bremen-
ses, quibus hæc contineri fingit Tossanus.

83. Scimus, Christum, etiam quâ homo est, adesse fidelibus suis,
sive lapidibus obruantur, ut Stephanus, sive in loca fœtida conij-
ciantur, ut Jeremias, sive laqueo suffocentur, ut alij martyres:
imo præsentem illum adesse dicimus, citra omnem inclusionem,
cunctis creaturis, terrestribus & cælestibus, visibilibus & in-
visibilibus.

84. Ad Dei namq. dexteram evectus, & in illum thronum O-
mnipresentiæ collocatus implet omnia, Paulo teste Eph. 4. & IN
MANIBVS suis habet (præsentem ergo sibi) omnes Creaturas:
dedit quippe pater ei omnia in manus. Ioh. 13. habet sibi plenif-
simè subiecta, quæcumq. vel in hoc, vel in futuro seculo nomi-
nantur: ita ut Deus nihil omiserit illi non subiectum. Heb. 2.

85. Ergo & loca simul omnia, supera & infera, subiecta illi
sunt, non ipse subiectus locis, quatenus in dextera maiestatis se-
det ac regnat.

86. Idcirco de hoc solo Iesu Nazareno, Mariæ filio, enunciat
scriptura, quòd ubicunq. duo vel tres sint congregati in no-
mine eius, sit in medio illorum Matth. 18. quòd agnus ille Dei
non forinsecus omnipresenti throno dextera patris adhereat,
sed sit in medio illius throni Dei Apocal. 7. quòd filius ille ho-
minis, in humana natura visus Iohanni, ambulet in medio Ec-
clesiarum in his terris Apoc. 1. & 2. quòd ad Dei dexteram ex-
altatus, dominetur in medio inimicorum suorum. Psal. 110.
quòd ascensurus in celos dicat: Ecce, ego vobiscum sum usq. ad
consummationem.

consummationem seculi : quòd ad dexteram Dei evectus hoc promissum suum impleat, & cooperetur Apostolis ubiq; prædicantibus. Marci 16. Quòd ad dextram Dei exaltatus effundat Spiritum sanctum super Apostolos hinc in terris. Act. 2.

87. Hec verò presentia non ita est comparata, ut humana Christi natura creaturis inclusa contineatur, sed ut eas potius contineat, & divina atq; illocali ratione iuxta modum dexterae Dei creaturis omnibus in illarum gubernatione præsto sit.

Hic aures
arrige Tossa
ne

88. Quoniam ergo non continetur in creaturis, sed illas potius continet & (ut scripture phrasi utar) in manibus eas habet: hinc adeò impossibile est, ut hæc nobis absurditas de inclusione carnis in lapidibus, lignis &c. iuste imputari queat.

89. Et quicquid absurditatis contra Omnipresenciam Christi iuxta humanitatem superba ratio profert: id ipsum multò magis contra Deitatem militaret, quam certum est adesse omnibus creaturis, ijs verò non includi aut contineri, sed omnipotenti virtute supra loci conditionem eas continere, regere & gubernare.

90. Ad Thesin 10. negativam breviter respondemus, utriq; nature in Christo suam esse propriam naturalem scientiam, voluntatem & potentiam: ita ut τὸ λόγος scientia, voluntas & potentia sit æterna & infinita: Humanitatis verò creata & finita.

Ad Thesin
Toss. 10.

91. Nihilominus verissimum est, humanam Domini naturam, per unionem, infinite scientie potentiaq; Dei κολωβία vera & solida participem esse redditam.

92. Sunt enim in Christo ratione assumpta Natura reconditi omnes thesauri sapientie & scientie. Col. 2. imò tota plenitudo Deitatis (sub qua etiã potentia & sapientia Deitatis absq; controversia comprehenditur) σωματικῶς in illa habitat, non ociose sanè, sed quàm maximè ἐνεργητικῶς.

93. Et certum est, unctum esse Christum secundum carnem Spiritu scientie & potentie sine mensura Psal. 45. Esa. 11. & Ioh. 3.

Ad Thes.
Neg. Toss. 12.

Ioh. 3. ea videlicet potentia, quæ miraculorum operatrix esset.
Act. 10. Scientia porro ea, qua etiam arcanas cogitationes ho-
stium suorum intropiceret. Matth. 9. Mar. 2. Ioh. 2. & fidem
hominum piorum hypocrisin, e contra reproborum nosset exactis-
sime Ioh. 1. & 6.

94. Quæ maiestas in statu exinanitionis particulari duntaxat
manifestatione enituit, interim crescente eo sapientia Luc.
2. & horam iudicij, tum temporis quidem, ignorante. Marc. 13.

95. Posteaquam verò in exaltatione sua infirmitatem om-
nem & unâ cum infirmitate ignorantiam quoque rerum deposu-
it: quisquis iam insciatur, Christum, quæ homo est, scire
ac posse omnia, is salvatorem suum per impietatem celesti ful-
mine vindicandâ è throno infinite potentie Dei, quantum in
se est, deturbare nititur.

96. Certè si non ipsiusmet λόγος propria sapientia increata
communicata esset assumptæ nature: tum nec tempore humili-
ationis potuisset cogitationes hominum intueri (hoc quippe
soliis increata sapientie, Ier. 17) nec vel tunc, vel nunc quoque di-
rigi ad eam posset invocatio, quippe gemituum & desideriorum
cordis, intimarumque cogitationum, quin & latentis in corde fidei,
ex qua proficisci debet precatio, prorsus ignaram & insciam.

Ad Thesin
Neg. Toss. 2.

97. Nec iudicium orbis, in quo consilia cordium & occulta
tenebrarum iudicabuntur, exercere posset Christus quæ filius
hominis est. Ioh. 5. si ei scientia increata λόγος quæ sola de oc-
cultis tenebrarum & cordium humanorum consilijs iudicare po-
test, nullo modo reali communicata foret. Vnde quantum cha-
os impietatum sub hoc flagitioso dogmate Calvinistico lateat,
cuique ponderandam relinquimus.

98. Quæ sequuntur thesi 5. merè sophistica sunt, & ad illu-
dendum Deo & mundo comparata.

99. Initio enim cum omnia Christo tradita scribit Tossanus
ut Mediatori, ambiguitatibus & equivocationibus suam sen-
tentiam abdere conatur, & ea, quæ Christo, quæ homo est, in
tempore

tempore tradita memorat scriptura, restringit ipse ad opus Mediationis, ut & ad officium Regum, Sacerdotale & Propheticum.

100. Errat, dum omnia illa, que Christo tradita sunt, ad officium in Ecclesia duntaxat restringit: contradicens scriptura, que Christo iuxta naturam exaltatam humanam omnia, quecumq; vel in hoc, vel futuro seculo nominantur (Eph. 1) sine omni exceptione (Heb. 2.) in manus tradita & pedibus subiecta confirmat.

101. Errat non minus in eo, quod officij eius actiones ita, Nestorij in modum atque morem, distrahit, ut in eo humana natura non nisi humanas actiones prestet, non divinas: idq; contra scripturam Iohan. 6. Colos. 1. 1. Iohann. 1. Et contra totius antiquitatis uniformem doctrinam.

102. Fucum facere conatur Lectoribus his verbis: habet, inquit, homo ille ipsam Dei omnipotentiam, quemadmodum Deitatem habet, scilicet per unionem.

103. Nam & sub appellatione hominis latibulum sibi querit, quoquo deinde modo suum hoc affirmatum interpretandi: & adiectam clausulam (per unionem) non eò refert, quòd vi unionis communicata sit assumpto homini, seu Christo, quòd homo est, omnipotentia verbi: quam unà cum Beza, Daneo, Pezelio & Heidelbergensibus suis statuit Humanitati Christi ἀπλῶς ac simpliciter nullo reali modo esse communicabilem: siquidem finitū infiniti capax esse in Calvinistica Theologia nequit: Sed hoc tantum vult omnipotentiam humanitati esse unitam, sine ulla tamen reali communicatione. Et quid quantumq; de unione ipsa credant, ac sentiant Calvinistæ, in prioribus explicavimus.

104. Naturarum exæquationem à nobis introduci, homo αὐτοκατάραγίτ in æternum probare se non posse ipsemet, nisi extrema dementia laborat, intelligit.

105. Respondeat enim: anne putet esse paria, esse ipsammet

G

met

met omnipotentiam sine ulla distinctione reali, & omnipotenter operari ex seipso & per seipsum (quod Deitati in solidum adscribimus) & non esse omnipotentiam ipsam, nec per se, aut ex sese omnipotenter operari, sed tantum per & propter unitam humanitati Deitatem? Simiter adorari per se (quod Deitatis est), & adorari non per se, sed per donationis gratiam, quod Humanitatis est. Phil. 2. Et denique, ut D. Cyrilli exemplum utar, esse ipsammet vitam vivificantem ac per se vivificare, quod Deitati competit: Et non esse ipsammet vitam vivificantem, nec vivificare per se, sed per unionem cum vivificante λόγῳ in communionem venire vivificæ huius potentie: quod nature convenit humane.

106 Hæc si planè paria esse censet Tossanus, certum est, quòd cum ratione insanire velit. Si verò, nolit velit, immensam inæqualitatem in propositis exemplis agnoscere cogitur: facessat cum suis calumnijs, & nostras Ecclesias eiusmodi notorijs iniurijs posthac onerare desinat.

Ad Theol.
Neg. Toss. 13

107 Dum thesi 13. Nestorianum simul & Arrianum esse putat, statuere, Christum iuxta alteram naturam, nempe humanam, omnipotentem Regem ac Dominatorem nostrum: ipsemet inexcusabilem Nestorianismum committit, ex quo tandem ad Arianismum progredi hæcenus consueverunt Doctores Calvinistici: quod exempla testantur Serveti, Blandrata, Alciati, Francisci Davidis, Gentilis, Gribaldi, Sylvani, & Adami Neuseri, qui Tossani antecessor Heidelbergæ fuit, idemq, quod ipse, dogma initio professus ex Calvinismo in Arianismum, & ex Arianismo in Mahumetismum tandem prolapsus est.

108 Dominum nostrum Iesum Christum confitemur esse Regem, & Dominatorem nostrum, non tantum quâ Deus est, sed etiam quâ est homo. Iuxta carnem quippe Christus & Dominus tactus est, Act. 2. Dominus verò non media quadam

dam potestate pradius, sed potestate omni in caelo & in terra. Matth. 28. potestate super omnem carnem Iohan. 17. potestate deniq; dominandi cunctis operibus manuum Dei, Psal. 8. Quod dominium omnis carnis operumq; Dei, non nisi omnipotentissime potestati competere, supra docuimus. Contra quam potestatem filio hominis concessam durum erit Tossano calcitrare.

108 Nec ferit nos calumnia de Deo deificato cum ne litera quidem unica demonstrare valeat, nos vel conversionem naturarum & proprietatum, vel earundem exaurationem, vel physicam effusionem statuere: sed eiusmodi communicationem divinae maiestatis docere, quae cuncta isthaec Calvinistarum imaginaria fictitiaq; paradoxa respuat.

109 Nec realis communicatio idem est, quod physica; siquidem & unio realis est, nec tamen eam physicam appellare fas est. Sicut & in mysterio Trinitatis realiter sunt personae distinctae, physicè verò distinctas nominare pietas prohibet.

110 Quando pergit asserere, nullam comparisonem esse huius Regis cum Rege Hispaniarum aut alijs regibus terrae: optandum foret, ut haec intelligeret Antagonista de Rege Christo, non tantum quia Deus est, sed etiam quia homo est. Sed diversum innuere videntur precedentia simul & sequentia.

111 Quod si Christum, etiam quia homo est, huiusmodi confitetur esse Regem, qui ad Reges terrae, quoad maiestatem, comparabilis non sit: cur igitur ei tribuit Tossanus maiestatem solum finitam & creatitiam, quae aliquam certè proportionem cum terrenorum regum potentia habet? siquidem finitum omne ad finitum alterum est secundum magis & minus comparabile.

112. Praeterea, cur ipsimet huiusmodi profanis similitudinibus gloriam Iesu Christi conculcatis? Cur dominium exaltati & vestra opinione absentis Christi cum Rege Hispaniarum à suis provincijs absente Theodorus Beza, cum Carolo quinto Dana,

to Danaus, cum Turcico Imperatore Germanus Bavarus ves-
ter conferre non reveretur?

113. Cur iterum Danaus argumentum D. Chemnitij à domi-
nio Christi hominis super omnes creaturas ad eiusdē adoratio-
nem stabiliendam deductum, exemplo Regis Scotie labefacta-
re tentat, qui ipse quoque in suo regno summum habeat imperi-
um, nec tamen à suis subditis religiosa adoratione vel invoca-
tione coli debeat?

114. Cur in victum argumentum D. Chemnicij, quod à genu-
flexione caelestium, terrestrium & inferorum in novissimo die
futura, desumit, idem Danaus scepticè exagitat, & sic impiè e-
ludit; Sistentur, inquiens, coram Regis sui tribunali omnes sub-
diti: genu coram eo flectunt. Ergo eundem religioso cultu ado-
rare debebunt. Quis (inquit Danaus) Chemnitium sic arguentem fe-
ret? Posthac ergo, Tossane, non nobis, sed tuis fratribus hæc ob-
ijcienda memento.

115. Denique, Christum iuxta humanam naturam, à quâ nun-
quam separatur λόγος & finitum sanè & perpetuò circumscri-
ptum agnoscimus, videlicet propriae suae naturae terminis.

116. Fatemur etiam, posse illum humanitate sua loco forin-
secus ambiente circumscribi & circumscriptum apparere, quan-
do & ubi velit.

117. Quòd autem Christi Humanitas, quatenus & in quan-
tum in verbi hypostasi subsistit, & in throno dextra Dei sedet,
loco circumscripta sit, & localiter ad dextram patris sedeat:
hoc verò pernegamus & abominamur ut horribile paradoxum,
quo Dei dextra eiusmodi fingitur esse thronus, cui localiter in
aliqua caeli parte insideri possit.

118. De corpore Deitati exaequato prius responsum est. Es-
se verò id per omnia expansum, quis, obsecro mi Tossane, sen-
sit aut scripsit unquam?

119. Explicatum e contra millies est, non locali presentia
(quae sola expansionem illam gigneret, in cerebro Calvinistarum
fabri.

fabricatam) sed illocali ratione presentem esse Christum secundum humanitatem, in throno videlicet illocali; ubi universa huius creati mundi loca coram Humanitate Salvatoris in dextra patris sedente & regnante, ad puncti parvitatem (ut omnia seculorum secula ad momenti exilitatem) ita reducta sunt, ut hac expansione seu diffusionem (quam localitatis parit imaginatio) nil quicquam ei sit opus.

120. Quam presentiam quia negat Tossanus, unionem ipsam sartam tectam neutiquam custodit, sed naturas & διαστάσεις, unitas locorum spatij verè distrahit, & ex Antichristi Spiritu Dominum Iesum soluit.

121. Quomodo sentiat Tossanus, Christum Deum & hominem in una & eadem hypostasi omnia regere, & officium Mediatoris & Redemptoris iuxta utramque naturam exercere; ex his, quae hactenus sunt exposita, promptum est cognoscere, & fraudem Tossani sub equivocationum involucris occultatam animaduvertere.

122. Thesis ultimam Tossani quod attinet, adoratur caro Christi non SVI respectu & PER SE, ut contra cordis & conscientiae testimonium nobis affingit Tossanus: sed adorabilis est & adoratur ab angelis & hominibus, respectu cointer Deitatis, ex cuius divinisima unitione, & hanc subsequente sessione à dextris aeternae Maiestatis, Christus, quæ homo, hanc supreme adorationis gloriam consecutus est.

Ad Thesis
neg. Tossani
ultimam.

123. Qui enim semper adorabatur ut Deus, de eo, quando in orbem terrarum per incarnationem introducitur, palam proclamatur Psal. 97, adorent eum omnes angeli eius. Heb. 1.

124. Itaque & Magi ex Oriente Matth. 2. leprosus Matth. 8. & discipuli nauigantes, ibidem. & sanatus cecus Ioannis 9. & mulier Cananea Matth. 15. & Apostoli una cum congregatione fratrum plusquam quingentorum ipsum adorant in monte Matth. 28 & inter adorandum cum oculos, tum mentem fiduciamque suam non in solam Deitatem seorsim, sed simpl in hu-

manitatem visibiliter assistentem in una indivisa adoratione convertunt.

125. Quod formula quoque precatationis evincit, cum clamant: Iesu fili David (est autem filius David secundum carnem Roman. 1.) miserere nostri. Matth. 15. & 20.

Ἐξαγορα-
το dona-
vit.

Phil. 2.

126. Et notum est, quod Paulus Christo scribit DONATVM esse nomen adorabile illud, in quo caelestium, terrestrium, & inferorum genua flectantur. Quod ad Deitatem torquere prorsus absolum est, utpote cui gloria haec, naturam competens, in tempore DONARI nequaquam poterat.

Apocal 5.

127. Hinc Apocalypsis testatur, agnum, qui occisus est (occisus autem est secundum carnem) dignum esse, ut accipiat virtutem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam & benedictionem. Benedictionem vero eam, ut omnis creatura clamet: sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum. Amen.

128. Quibus verbis supremum religiosissime adorationis cultum describi, extra omnem dubitationis aleam est positum.

129. Idcirco & Stephanus hunc Iesum, quem ut filium hominis videt in Spiritu, stantem a dextris Dei, invocat in ultimo agone, suamque animam ei commendat. Act. 7.

130. Estque hoc presentissima consolatio plenum quod in adversitatibus constituti, audemus invocare Christum, etiam iuxta eam naturam, qua noster est frater, nimirum os ex ossibus nostris, & caro de carne nostra: in qua natura ob hoc ipsum experiri voluit infirmitates nostras, & tentari per omnia, ut his, qui tentantur, posset succurrere. Heb. 2. & 4.

131. Hec omnia vero eò non volumus intelligi, quasi statuamus ad humanitatem seorsim esse dirigendam invocationem nostram, aut adorandum esse Emanuelem, ut nudum ac merum hominem, qui non sit simul natura Deus: hoc enim Cyrillus dicto suo, quod Tossanus impertinentissimè contra nos allegat, meritò ut Idolatriam damnat: sed hoc volumus, adorationis & invo.

invocationis cultum nec seorsim ad humanitatem absq, Deitatis respectu, nec seorsim ad Deitatem absq, intuitu humanitatis, sed ad Christum totum in & secundum utranq, naturam consideratum ferri oportere; hoc permanente discrimine, quòd $\lambda\epsilon\gamma\omega$ per naturam, per se, & respectu sui, sit adorabilis: caro verò non per se, sed per unionis & divine glorificationis gratiam, Phil. 2.

132. Hæc quia negat & impugnat Tossanus, certum est, ipsum circa fidem fecisse naufragium, nec in æternum salvari posse, nisi abiurato hoc blasphemio dogmate Christo filio hominis suum iuxta carnem honorem & gloriam restituerit.

133. Restituere autem non poterit, nisi realem communicationem idiomatum hæctenus à se hostiliter oppugnatam, post hæc fideliter asserens, statuerit nobiscum, humanam Christi naturam sic invocari, ut revera sciat suorum gemitus, & abditissimas cogitationes illorum, vi increate sapientie $\tau\epsilon\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$, communicata sibi perscrutetur, & possit hoc modo tentatis (ut Apostolus ait) succurrere, eisq, in cunctis tribulationibus prestò esse.

134. De pluribus admonendus erat Tossanus. Caterum quia Scriptum Apologeticum nostrum pro assertione articulorum visitationis elaboratum, & illustrissimorum iuxta clarissimorumq, virorum suffragiis ac censuris approbatum, nunc sub prelo est, in quo plenius ac fusius omnia traduntur, idcirco huic Disputationi finem imponimus.

F I N I S.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

In Articulo de Coena Domini,

Thesi 51. lin. 2. lege, hac luce. Thesi 65. lin. 4. penitius. Thesi 83. lin. 7. qua est &c. Thesi 117. lin. 3. verum etiam secundo, tertio, nono, &c. Thes. 126. l. 5. quo reatum istum, &c. Thes. 137. l. 3. manducatione indignorum.

In Articulo de Persona Christi.

Thesi 2. l. 2. Calvinistas. Thes. 25. l. 3. nomen, Thes. 43. l. 1. & 2. Disputatoris. Thes. 48. l. 2. communicata.

AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







17 205

H E S E S

œna Domini &
œna Christi.


z elumbes chartas Danielis Tos-
iculos Saxonicae Visitationis la-
to refutare conatus est.

Quas Theses

VITE DEO, PRÆSIDE
o, S. Theologiae Doctore, & in Academia
fessore, disputationibus diversis (primo
unij de Cœna, secundo de persona
hristi) publicè defendet

JANNES SCHRODERVS
HassoTreisensis.

articulis, nempe de Baptismo & Prædesti-
ar ξαῦ θεῶ peculiari contra Tossani
ολυαρίας Disputatione.



93*

Gratia & Privilegio Electorali.

VITEBERGÆ
at Matthæus Welack,

